J. A. Ort,

ALIQUOT HISTORIAE MORBORUM

IN CLINICO CHIRURGICO

Cl. B R O E R S

OBSERVATORUM.

Leyden

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,

CONTINENS

ALIQUOT HISTORIAS MORBORUM,

IN CLINICO CHIRURGICO

Cl. BROERS,

OBSERVATORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,
CONTINENS
ALIQUOT HISTORIAS MORBORUM,
IN CLINICO CHIRURGICO
Cl. BROERS
OBSERVATORUM;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOHANNIS HENRICI SCHOLTEN,

PHIL. THEOR. LITT. HUM. ET THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA, Leyden

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

Joannes Arnoldus Ort,

GRAVIENSIS.

AD DIEM XII OCTOBRIS MDCCCXLVI, HORA XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

GORICHEMI,
APUD J. NOORDUYN ET FILIUM.

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS.

CONSPECTUS HISTORIARUM.

pag.

I. PHLOGOSES.

OBSERV. I. *Gonalgia sinistra.* . . . . 1.
» II. *Podarthritis rheumatica.* . . . . . . 2.
» III. *Ambustiones.* . . . . 5.
» IV. *Rheumatismus.* . . . . 6.

II. MORBI LAEDENTES PARTIUM STRUCTURAM ATQUE COHAESIONEM.

OBSERV. I. *Fractura femoris sinistri.* . . . . . . 9.
» II. *Prolapsus vaginae.* . . . . 10.
» III. *Fractura tibiae et fibulae dextrae.* . 11.
» IV. *Fistulae urinariae completae.* . . . . 12.
» V. *Ulcus atonicum.* . . . . 15.
» VI. *Teleangiectasia labii superioris oris. Excisio.* . . . . 17.
» VII. *Teleangiectasia Nasi. Excisio.* . . 19.

III. MORBI IN QUIBUS CORPORA ALIENA SESE EVOLVUNT IN ORGANISMO.

OBSERV. I. *Hydrocele tunicae vaginalis testis. Operatio per incisionem.* . . . . . . 21.
» II. *Calculus vesicae urinariae.* . . . . . 23.

IV. DEGENERATIONES. pag.

OBSERV. I. *Carcinoma ad genitalia. (Verrucae cancrosae)* . . . . 25.
» II. *Carcinoma faucium.* . . . . 27.
» III. *Tumor fibrosus. Exstirpatio. Reditus.* 30.
» IV. *Lupus Exuberans.* . . . . 34.
» V. *Scirrhus Mammae dextrae. Amputatio Mammae.* . . . . 36.
» VI. *Carcinoma uteri.* . . . . 39.

V. MORBI SYPHILITICI.

OBSERV. I. *Morbus syphiliticus.* . . . . 42.
» II. *Dolores osteocopi venerei.* . . . . . . 45.
» III. *Bubo syphiliticus. Exanthema syphiliticum. (Syphilopsydrax lenticularis.)* 47.
» IV. *Ulcus syphiliticum labii inferioris oris. Condylomata.* . . . . 50.
» V. *Condylomata ad genitalia et anum.* 53.
» VI. *Ulcera syphilitica primaria ad penem.* 55.
» VII. *Exanthema syphiliticum.* . . . . . . 57.

VI. MORBI OCULORUM.

OBSERV. I. *Leucoma utriusque oculi, blennorrhoea oculi dextri, ipsiusque corneae emollitio.* . . . . 58.
» II. *Ophthalmia militaris.* . . . . 60.
» III. *Cataracta utriusque oculi. Operatio.* . 63.

I.

PHLOGOSES.

Observatio I.

GONALGIA SINISTRA.

Hesje van W..... annum aetatis agens undevisecimum, die Septembris 16, in Nosocomio nostrum quaerit auxilium pro genu affectione, qua per tres jam laboraverat hebdomades. Refert filia temperamentum sanguineo-lymphaticum et constitutionem scrofulosam; anno aetatis decimo quinto menses provenere, neque ab illo inde tempore unquam fuerunt irregulares. Accusat filia rigiditatem in genu sinistro, et licet ad tactum non indicet dolorem, in hujus tamen partis motu, doloris adsunt indicia; levis conspicitur partis tumor, dum alia inflammationis exsudativae adhuc desiderantur symptomata.

Quum per cucurbitarum applicationem saepius jam hocce fuerat oppugnatum malum, frustra vero, unguentum inunximus Autenriethii, a cujus actione provenere pustulae, post

quarum proventum mox jam quodammodo siluit dolor, atque minuebatur partis intumescentia. Quae ex diathesi scrofulosa erat perspicua, secuti sumus indicationem, atque cum derivanti unguento externo, usuque interno Olei Jecoris Aselli eum attigimus finem, ut prorsus sanata post duorum mensium curam e Nosocomio sit dimissa filia, neque, ut au divimus, postea ex hujus laboraverit partis affectione. Ipsi autem Olei Jecoris usus continuatus commendabatur.

—

Observatio II.

PODARTHRITIS RHEUMATICA.

Die 26 Septembris nobis committitur Nicolaas M........., agricola, annum aetatis agens 21, temperamento praeditus lymphatico et constitutione scrofulosa.

Queritur juvenis dolorem pedis sinistri in regione malleolari externa, qui motu quovis tactuque augebatur, quin ipsum impediebat quominus calceamentum ferre posset. Indagantibus hujus partis statum, nobis patuit adesse tumorem in regione indicata, inprimis moventem dolores, ubi in malleolum externum instituebatur pressio; erat motus difficilis; quo pes sursum atque deorsum ducitur; in latera non sine auxilio, nec sine doloris significatione vehementis verti potuit, ita ut gressus ipsi esset perdifficilis atque dolorosus.

Anamnesin hujus perquirentes malum sequentia ab aegrotante accepimus: ante duos menses ubi in agris colendis aliisque agricolarum operibus fuerat occupatus, atque exinde magnis perfusus sudoribus, refrigerio sese exposuerat, ad

vesperam hujus diei sensit dolores in artubus praesertim inferioribus, non autem tam vehementes, ut labores recipere non potuerit: se igirur minime cavit a potu refrigerante aut corporis denudatione, sed nihili pependit, quod saepius homines corripit, malum; narrat porro, se deinde in gressu aliquam observasse rigiditatem in pede sinistro, et lancinantem per totum crus dolorem, tumque post 14 dies vidisse hujus partis intumescentiam cum aucto dolore; sic, ut fieri solet, per Linimenta, nescio quae, curare sperans malum, nullum Medici imploravit auxilium; in dies vero molestiae augebantur metusque, ne omnis mox hujus partis perderetur usus. Fuerat ceterum sanus et pueritiae et juventutis tempore, neque ullo morbo, nisi scrofulis in collo interdum tumefactis, pueritiae annis se laborasse meminit. Disparuerant dolores artuum rheumatici; sunt regulares organismi functiones, ita ut bene appetat cibos, neque ullas patiatur digestionis molestias.

Quiescat in lectulo, satisfiat indicationi antirheumaticae generali et topicae.

Die 27 Septembris. Applicantur cucurbitae quatuor cum scarificationibus in regione affecta; praescribitur Dec. Radic. Bardanae. Nullum autem exinde cepit fructum, ita ut post quinque dies essent repetendae cucurbitae cruentae; eodem vero utatur Decocto. Sudores interdum provocati aegro sensum melioris conciliaverant valetudinis, atque quies praesertim, qui aderat tumorem quodammodo imminuerat; eandem igitur sequentes viam, eadem saepius applicavimus medicamina; dolor autem non mutabatur, neque motus partis impeditus.

Postquam igitur per mensem fere supra indicato obediveramus medendi consilio, neque multum amplius exinde ca-

pere licuit usum, aegrotantis spectantes constitutionem scrofulosam, cui rheumatica haecce accesserat affectio, Oleum Jecoris Aselli praescripsimus, cujus bis de die caperet cochlear; pergatur cum Dec. Bardanae. Inunximus porro partem affectam cum Unguento Neapolitano, quibus conjunctis viribus post duos menses et tumor et dolor partis erant imminuta. Sic tandem lectulum relinquere ausus est, et erat facilior gressus neque dolorosus; tamen quietem partis necessariam duximus. Mollior autem factus ex lectuli tepore, sibi contraxit die 14 Januar. febrem naturae catarrhalis; lingua mucosa, albida, alvus per duos dies nulla; cephalalgiam accusat frontalem et sensum dedolationis universalem (Rc. Dec. Hordei unc. xij Mannae electae. Syr. Rub. Idaei ā unc. i Ohc.). Intermittitur Olei Jecoris Aselli usus.

Die sequenti. Nulla febris; lingua magis pura; alvum deposuit naturalem; imminuta cephalalgia et lassitudo. Neque reversus est febris paroxysmus, ita ut medendi iterum suscipientes consilium, propinaverimus Ol. Jecoris Aselli.

Non fuerant mali effectus hi motus febriles in partem affectam; lente quidem, sed manifeste tamen melior reddebatur ipsius conditio; intumescentia mense Februario ultimo fere omnis disparuit, sed dolor ad pressionem supererat notabilis. Revellendi igitur scopo in eodem crure supra malleolum posuimus Vesicans magnitudinis floreni, ibique fonticulum servavimus. Erant haec omnia bonae frugis; licet enim longae submissus fuerit curae, Mense tamen Aprili nos reliquit sanatus. Jussimus autem fonticulum et Olei Jecoris Aselli usum protractum.

—

Observatio III.

AMBUSTIONES.

Die 6 Februarii transfertur in Nosocomium puella 4 annorum Willempje van F......., constitutionem maxime teneram scrofulosamque referens. Inciderat in foci ignem puella, quo fuit ambusta abdominis regio fere omnis: in aliis levis, in aliis vero locis gravior erat ambustio, ita ut varii ambustionis gradus facile hic conspici possent; observabantur enim et erysipelas et ampullae et cutis denudatio, in nonnullis locis gangraena. Fuit statim involuta puella in lanis, laxaque primum adhibita fasciatio. Puella maxime debilis, male nutrita et emaciata altero die febricitabat, alvumque deponebat liquidam; lingua vero non irritata, humida. (Rc. Dec. alb. Sydenh. unc. xij. Ds. Obih. cochl.). Lubenter hoc capiebat medicamen, atque diaetae erat submissa leviter nutrienti.

Die altero 7 Febr. Fuerat morosa noctu puella, sitique vexata continua; pulsus frequens; alvum bis deposuit liquidam. Iter. Dec. alb. Sydenh.

Postquam vero per decem dies lanas modo imposueramus abdomini, Nitratis Argenti adhibuimus solutionem (Rc. Nitr. Argenti gr. vi. S. in aq. unc. xij), qua linteus carptus madefactus superficiei applicabatur adfectae. Fuit quidem cum magno dolore conjuncta hujus medicaminis administratio, sed optatum profecto praestitit auxilium. Impediebatur enim nimia caruncularum luxuries, atque cicatrix inducebatur post 8 hebdomades optima. Semper usa est Decocto albo; erat alvus plerumque liquida, non vero copiosa; nullae ambustionis malae remanebant sequelae, quin puella nos reliquit melius nutrita quam antea.

Ejusdem naturae exemplum nobis praebuit juvenis quindecim annorum, qui morbo affectus epileptico, in diri hujus mali paroxysmo, in ignem quoque prociderat, sibique et manuum et abdominis et crurum contraxerat ambustionem vehementem. Quæ erythemate tantum erant adfectæ partes lana tectae sunt. In reliquis vero escharae solutio fuit promota; qua soluta primo eadem ac in casu memorato, usi sumus Nitratis Argenti solutione; interdum vero, nimis luxuriantibus caruncalis Sulphatis Cupri adhibuimus lotionem, optimo revera cum successu, ita ut cicatrisatio magnos progressus faceret.

Erat et hujus aegrotantis alvus liquida; siluere epilepsiae paroxysmi, quo tempore aderat fonticulus ille per ambustionem satis extensus; de ipsius vero reditu nil certi pronunciare possumus, quoniam plaga ambusta, licet tendens in cicatrisationem, nondum erat consolidata, fonticulumque igitur constituerat derivantem, ubi feriarum incidebat aestivarum tempus.

Observatio IV.

RHEUMATISMUS.

Die decimo Mensis Junii Clinicum Chirurgicum aggressus est Cornelis v. d. H..., vir quinquaginta duos annos natus, constitutionis satis robustae, nautae munere fungens. Aeger hic jam antea in Nosoc. Harlemense susceptus propter rigiditatem corporis universalem, mense Decembri anni praecedentis illud reliquit, pagumque suum Oudshoorn iterum petiit. Ab illo vero tempore extremorum inferiorum debilitate sive

torpore aegrotare coepit, quae lente increvit, atque crurum mox omnem delevit usum. Aeger refert: hanc extremorum infirmitatem initium duxisse a sensu titillationis acuum puncturae simili, cum plantarum pedum conjunctae frigore. Accusat quoque dolorem partialem ad vertebram lumbalem tertiam, tactu adauctum; affirmat porro urinae emissionem ei admodum esse molestam, vel ipso inscio fieri, vel guttatim ejici atque difficulter.

Partium nulla emaciatio, aut caloris gradus imminutio observatur; cutis parum sensilis, punctionem vero acuum repugnans fortiorem; gressus aegri vacillans et sine fulcro ligneo fieri non potest; ceterum nullus articuli coxae vel genu accusatur dolor, et nulla adest partis elongatio. Ex symptomatum syndrome ac relata anamnesi concludimus ad *Acinesiam imperfectam* ex affectione paralytica medullae incompleta, a rheumatismo repetenda.

Enuresis enim incompleta, dolor partialis ad spinam per pressionem auctus, sensus titillationis sive punctionis a qua partium imbecillitas sive torpor initium traxerunt, ac cutis parva sensilitas, symptomatum constituunt congeriem, qua medullae affectio redditur probabilis, quum quia vera deest cutis anaesthesia, membri emaciatio, et caloris animalis decrementum, quae pro varia medullae parte affecta hancce comitari solent paralysin, incompletam medulllae affectionem vocavimus. In nostro igitur casu vitam nerveam magis fuisse oppressam, quam exhaustam, facile constat. Hujus acinesiae imperfectae causam ex ipsius aegri opificio et vitae ratione esse petendam credimus; nautae enim semper aeris vicissitudini expositi ac opificium suum sub pleno Jove agentes, prae aliis obnoxii sunt affectionibus rheumaticis. Talem affectionem rheumaticam, quam aeger noster antea passus est,

rigiditatem fuisse corporis facile accipimus. Quum igitur affectio rheumatica membranarum medullam investientium partialis hujus acinesiae fuerat habita causa, cucurbitas octo applicuimus cruentas loco lumborum dolenti, quas per quatuor dies de alterno die repetivimus, primae indicationi plane satisfacientes. Sic etiam balnea praescripsimus tepida universalia, atque medicinam internam diaphoresin provocantem. (Dec. Lignorum).

Sub horum medicaminum usu mox aeger melius sese habere coepit: disparuit dolor dorsi, et membrorum motus fiebat liberior, ita ut sine fulcri auxilio ingredi potuerit. Remanebat autem sensus rigiditatis in utrisque cruribns, in quibus frictiones tum instituebantur cum Linimento volatili. Sic in dies melior viri reddebatur conditio, quamquam propter ferias aestivas dimittendus, non prorsus sanatus Nosoc. reliquit.

II.

MORBI LAEDENTES PARTIUM STRUCTURAM ATQUE COHAESIONEM.

Observatio I.

FRACTURA FEMORIS SINISTRI.

Elizabeth T..... femina 75 annorum die 6 Septembris in Nosocomium transfertur propter laesionem femoris, quam ex lapsu in genu sinistrum sibi contraxerat. In partis laesae exploratione patet, dolorem adesse fixum in medio femore, quod statim post laesionem aegra movere non potuerat, cujusque motus praeternaturalis perficitur, si juxta locum, ubi dolorem accusat fixum, ponuntur manus, sicque levi rotatione moventur partes inter manus positae: sub tali motu crepitum audire potuimus. Nulla porro aderat longitudinis aut directionis mutatio; ex quibus igitur erat concludendum: adesse femoris medii fracturam transversam absque partium dislocatione. Nullus porro observabatur partium circumjacentium tumor, nisi cruris, qui ab hujus partis pendebat intumes-

centia oedematosa. Applicabatur statim *apparatus* ita dictus *amylaceus*, cujus ope, quamvis incerta atque infausta erat in ejusmodi aetatis progressu prognosis, post quadraginta octo dies reliquit Nosocomium, sanata, neque ullas hujus laesionis accusans molestias.

Observatio II.

PROLAPSUS VAGINAE.

Gijsje N....... annos nata 19, in Nosocomium Academicum recipitur die 17 Septembris. Filia haec temperamento praedita lymphatico et constitutione scrofulosa, laxum referens habitum, jam ante 2 annos propter utriusque oculi affectionem amauroticam in Nosocomio erat curata atque sanata per anthelminticorum usum, quorum actione magnam per anum emisit Ascaridum et Oxyuridum copiam, a quibus liberata et dein bona videndi gavisa est facultate. Ante aliquod autem tempus aegra nostra queri coepit de sensu quodam obtuso in regione lumbali, atque ponderis sensu in vagina; aderant saepius conamina ad alvum aut urinam mittendam, dum et catameniorum fluxus, qui ante annum fere inceperat, atque per anni dimidiam partem provenerat regulariter ab illo inde tempore suam amiserat normam regularem. Narrabat porro filia, partem aliquam membranosam rubram conspici posse inter genitalium labia propendulam, quae et a nobis, instituta partium exploratione, inveniebatur esse pars mucosæ vaginæ.

Quemadmodum ex omni hujus aegrae erat perspicuum habitu, haecce partis solutio pendebat a debilitate s. atonia,

neque, ut ex anamnesi patebat, quaedam erat accusanda causa mechanica. Quae igitur in hocce casu erant indicata remedia adstringentia topica, administravimus: lanae enim lamina circumvoluta atque Decocto Salicis albae madefaeta, in vaginam introducebatur, eo effectu, ut decubitu in dorsum stricte retento, post mensis fere curriculum ab hocce fuerit liberata malo molesto.

Observatio III.

FRACTURA TIBIAE ET FIBULAE DEXTRAE.

Die 18 Septembris tempore vespertino in Nosocomium ferebatur Lena B...... Femina haec annum aetatis agens 26 habitumque referens validum, ex lapsu de scalis tempore meridiano facto, sibi fractum esse crus dextrum dicit, atque vehementem ex levi motu oriri in hacce parte dolorem pronunciat. Et, ubi fuit instituta inquisitio, quam jam praedicaverat femina, fracturam tibiæ adesse et fibulæ constitit. Quamvis enim hujus partis non erat imminuta longitudo, ubi movebatur (qui motus cum dolore satis notabili erat conjunctus), fracturae locus in medio hocce crure facile conspiciebatur, sonusque audiebatur crepitationis; intumescentia hujus partis jam aderat notabilis, atque tegumentorum levis tensio.

Quoniam igitur partium mollium tumor impediebat, quominus satis firmiter posset applicari apparatus aliquis contentivus, neque, quae aderat in inflammationem propensio hocce

permittebat auxilium, primum fascia modo est voluta circa crus, quod imponebatur in Sauteri apparatu, atque fomentationibus madefactum frigidis, antiphlogisticis.

Erat autem, quae sequebatur, nox insomnis, inquieta, somniis saepe interrupta; pulsus apyretus. Partium tumor quodammodo imminutus. Praescribitur Potio acidula; eadem cura topica.

Postquam per tres dies, eandem simplicemque adhibueramus curam, ita partium decrevit tumor, ut facile fasciam, quae amyli ope continetur, applicare potuerimus, neque alia, nisi diluens necessaria fuerit medicina.

Die 8 Novembris Nosocomium reliquit sanata.

Observatio IV.

FISTULAE URINARIAE COMPLETAE.

Die 3 Octobris in Nosocomium transferebatur Hendrik St......, miles, vir annorum 29, temperamentum gerens lymphaticum et constitutionem scrofulosam. Tristis, quem praebebat debilisque adspectus morbum quendam organismi functiones maxime laedentem augurabatur; erat enim facies collapsa, color luridus, oculi tristes, meticulosi, corpus emaciatum; pulsus parvus, febrilis; calor corporis quodammodo urens; sudores manuum; lingua mucosa, alvus vero naturalis. Inquirentibus in horum symptomatum causam, nobis narrat aeger se laborare ulcusculis parvis in regione perinaei, e quibus urethrae loco, in urinae mittendae conamine stillabat urina, partes laedens circumjacentes,

foedumque spargens odorem. Initio unum modo ejusmodi adfuerat foramen, dein vero duo sese adjunxerant, ex quo tempore vix ac ne vix quidem per urethram mittebatur urina, sed stillatim plerumque e foraminulis proveniebat; semper igitur spongiis aliisve rebus erat recipiendum lotium. Accepimus porro, saepius jam in Nosocomio militari, quo antea curabatur, fuisse tentatam catheteris applicationem, absque ullo autem fructu, semperque aut subsistere in aliqua urethrae parte, aut praesertim si elasticus adhiberetur catheter, exire ex perinaci apertura quadam catheterem.

Quoad pathogeniam hujus morbi notandum, laborasse huncce virum ante aliquot annos blennorrhoea urethrae, quae artis ope fuit sublata, neque sibi primo tempore aliquas protulit molestias: fuerat autem semper ab illo inde tempore urinae rivulus tenuis atque tortuosus, quin interdum exiguam senserat in mingendo difficultatem; tunc ante annum fere dolorem in perinaei regione passus fuerat, post quem parvus abscessus apertus primam constituerat viam fistulosam. Ab illo inde tempore de die in diem erat debilitatus, atque emaciatus; cibos non appetiverat morboque laborans foedo a societate ipsum excludente humana; fatum ferebat triste corpus animumque depascens.

Quae statim jam in opinionem venerat de fistulis urinariis cogitatio, per explorationem confirmabatur. Introducebatur catheter stanneus crassitudinis minoris, sed, ut exspectaveramus, in parte retinebatur urethrae membranacea; transibamus ad catheteres crassitudinis minoris, absque fructu introductos. Ne autem nimis fatigaretur aegrotans debilis, experimenta intermisimus in diem alterum; praescripsimus interdum Emulsionem Amygdalinam. Curamus, ut purae serventur partes fistulosae.

Die Octobr. 5. Persuasi jam, quod propter urethrae stricturam crassiori non uti possemus cathetere, diametri minimae eosque membranaceos applicavimus, sicque tandem pervenimus in vesicae cavum. Erat autem cum magno dolore conjuncta haecce operatio, mucique magna copia adhaerebat catheteri educto.

Fuerunt sic saepius iterata catheteris introducendi conamina; saepe autem, quamvis magna agentes cautione falsam, ut vocant viam, evitare non potuimus, et qui vesicam versus erat directus catheter, in perinaeali se ostendebat regione. Maximos autem querebatur dolores et inter et post catheteris applicationem; dilatando sic tamen urethrae cavo eo restituimus rem, ut interdum per urethram emitteretur urina. Quo vires sustentarentur, propinavimus Decoct. alb. Sydenh. atque demulcentia.

Die 10 Nov. Noctu ter alvum deposuerat liquidam, sibique visus est urinam misisse per urethram. Rc. Solut. Saleb.

Corripiebatur vero dein tussi absque sputorum proventu; pergitur in iisdem.

Quamvis autem post quatuor dies haecce retinebatur alvus liquida, atque tussis erat imminuta, vires maxime pessumdatae non sinebant, ut operatio quaedam institueretur radicalis, at potius indicatio vitalis.

Historiam persequi non potuimus, quoniam propter copias militares mutatas nos reliquit aeger miserrimus.

Quatuor igitur in hacce historia sunt observanda stadia: primum stadium stricturae, alterum in quo adest urinae stagnatio, tum stadium inflammationis et ulcerationis, quartum dein in quo obtinet urinae in telam perinaei cellulosam infiltratio. Sic enim, quae in hocce aegrotante fuerunt obser-

vata symptomata, facile explicantur: Ubi enim adest membranae mucosae incrassatio, quae in mictus conamine propellitur urina, transire non potest, sed pars quaedam remanet, quae stagnans atque in eo loco stimulo isti perpetuo non consueto, provocans inflammationem impuram, producit tandem ulcerationem; quae proserpens per telam cellulosam exitum quaerit, atque facile constituit viam fistulosam; urinae vero guttulae penetrantes in textum perinaei cellulosum, in variis locis iterum istam producunt inflammationem et ulcerationem, quemadmodum in nostro quoque observavimus aegrotante, in cujus regione perinaeali pone scrotum tres aderant aperturae fistulosae: ut vero experimentum cum cathetere docuit, una modo urethrae videbatur adesse apertura, quae cum fistula communicabat, urinaeque praebebat exitum.

Observatio V.

ULCUS ATONICUM.

Alida van Oef.... viginti septem annos nata, temperamento praedita lymphatico et constitutione laxa, scrofulosa, propter ulcus cruris sinistri in Nosocomio Academico quaerit auxilium. Narrat aegra ulcus sibi ante 5 menses fuisse ortum a concussione in objectum, quam insecuta fuerunt cutis rubor, inflammatio parvaque ulceratio, quae increscens ulcus hoc satis notabile constituerat. Dolores queritur vehementes, crus valde tumet rubetque circa locum ulcerosum; recusatur tactus dolorem provocans. Ulcus ipsum magnitudinem

refert palmae manus: sedem habet ad anteriorem cruris partem, seseque extendit ad utrumque tibiae latus. Superficies inaequalis, caruncculis passim luxuriantibus tecta, unde adspectum refert griseo-brunneum, tumoribus intermixtum rubris sanguinolentis; margo durus, crassus, lunatim excisus, ad formam accedens phagadaenicam; foetor fere intolerabilis. Adest in eodem crure paulo altius sita macula rubra, irritata.

Quoniam propter modum, quo victum sibi quaerit aegra (erat enim meretrix), quaedam nobis oriebatur de morbo syphilitico suspicio, hac de re ipsam interrogavimus; confitetur autem, se neque in genitalibus aut aliis solito affectis locis mali aliquid venerei fuisse passam, neque dolores unquam percepisse osteocopos; non exstant exostoses, periostitis aut exanthema naturae syphiliticae.

Propter catameniorum proventum genitalium perscrutatio ad aliud erat differenda tempus.

Indicatio: imminuendus hujus ulceris erethismus, quare quietem non turbandam mandavimus atque epithemata emollientia e Farina Lini seminum ulceri imponenda.

Jam 7 Nov. die, ulceris habitus parumper erat emendatus: margines minus rubent; totum crus minus tumet, neque dolores per noctes ultimas tam asperi fuerant, quam antea. Corporis autem conditio minus placet: pallet facies, oris sapor depravatus, amarus, appetitus prostratus, pulsus parvus apyretus; alvus difficilis dura; lassitudinis et dysphoriae percipit sensum. Rc. Dec. Gram. Tamar. unc xij, Sulph. Sod. dr. ij. D. S. o. h. v.

Sub hujus medicaminis usu, euphoria intra aliquot dies restituta; alvum bis de die deponit compactam; ulceris facies post epithematum usum benignior.

Die 10 ejusdem Mensis, e Decocto omittitur Sulph. Sodae. Die 11 Nov. Catameniorum destitit fluxus, quare genitalium internorum speculi ope instituimus explorationem. Nil morbosi in externis observatur genitalibus, neque in vagina: non adsunt ulcera, nec condylomata; tres modo inter vaginae rugas conspiciuntur maculae, rubentes, parumper tumentes, quae autem non satis luculenter morbum indicant syphiliticum.

Reputantibus nobis hujus aegrae tum constitutionem scrofulosam, maximeque laxam, tum ulceris habitum absque charactere specifico, non ineptum visum est applicare fasciationem Underwoodii, ulcus purum servare, primisque diebus jubere quietem: medicamina resolventia alvumque moventia suademus. Cui consilio satisfacientes tantos in cura fecimus progressus, ut jam Decembri mense ultimo omnis fere fuerit consolidata ulceratio. Sic hujus feminae ad suos redire cupientis obtemperavimus desiderio; de alternis adhuc diebus circumvolvimus Emplastri Lithargyri laminas, eo effectu, ut die Jan. 25 1846, fuerit conformata cicatrix, omni vacarit dolore crus affectum, neque in gressu, neque in ceteris organismi functionibus aliquid superfuerit molestiae.

Observatio VI.

TELEANGIECTASIA LABII SUPERIORIS ORIS. EXCISIO.

Die Septembris 23, examini submittitur Geertje K......., infans 4 mensium, habitum referens bene evolutum. Nar-

rat ipsius mater, se statim postquam erat nata infans, observasse punctum quoddam parvum rubro-coeruleum, non elevatum, partem labii superioris occupans dextram; nullam autem hujus phaenomeni egisse curam, ne tunc quidem, ubi jam quodammodo accreverat, eamque, ut vocant, naevum spectasse maternum naturalem; neque infans hujus vitii aliquam ostenderat molestiam, et sana hilarisque in dies adolevit; proserpsit autem malum, ita ut, quum antea erat punctum parvum, nunc maculam referre coeperit, juxta filtrum oblique quodammodo se extendentem ad marginem labii superioris. Erat hujus partis auctus calor, exiguus modo percipiebatur pulsationis sensus; color nunc magis ruber, tunc iterum coeruleus, non constans; luxuriabant manifesto vasa capillaria, et procul dubio, ut ex parvo, quo talem adeptum erat extensionem, malum, intelligi potest temporis intervallo, ulterius sese propagasset, nisi aliquo tolleretur modo. Neque ullum aderat impedimentum, quominus institueretur hujus mali excisio; erat sana infans, malique sedes atque natura facile hancce sinebant operationem. Instituta est igitur secundum artis regulas hujus vitii excisio, die Sept. 24.

Nulla aderat haemorrhagia insolita; qui autem fundebatur sanguis, mox sistebat, ubi ad se invicem adducebantur vulneris margines, acuum ope retenti, filisque circumvoluti.

Die 25 Sept. Febricitabat leviter infans, atque per noctem fuerat inquieta. Calor corporis non multum auctus, nulla sitis immoderata, alvus naturalis.

Die sequenti 26 Sept. Prorsus bene sese habebat infans; ut solebat tempore postmeridiano somnum capiebat, neque ullum indicabat dolorem aut molestiam. Fiebat sic sanatio per primam intentionem; nam ubi quarto post excisionem die

tollebantur acus, jam erant conglutinati vulneris margines.

Die Octobris 3io reliquit Nosoc. Acad. infans sanata.

Observatio VII.

TELEANGIECTASIA NASI. EXCISIO.

Trijntje van B......, 16 menses nata, constitutionem referens sanam, die 14 Jan. 1846 in Nosocomium nostrum recipitur. Est nata infans cum macula parva in narium ala dextra, coloris rubri, vix conspicua; in dies increvit tandemque, ubi tumorem jam constituerat rubro-coeruleum, a Chirurgo auxilium petunt parentes. Fuerunt instituta ab ipso vaccinatio, cauterisatio, absque ullo tamen fructu, quin magis magisque se haecce evolvebat tela tumoremque referebat magnitudinis profecto notabilis: erat tumoris color ruber, cum coeruleo intertinctus colore, mollis, calidus, non percipiendus vasorum pulsus, absque dolore tangendus. Erat propter telae luxuriantis incrementi celeritatem, jam omnem occupantis alam nasi dextram, de nullo alio cogitandum auxilio, nisi de mali excisione, quod et a parentibus vehementer desiderabatur. Jam igitur, quum dies erat statutus, quo mali excisio locum haberet, propter febrem alvumque liquidam, orta ex dentitione, ad aliud differre tempus coacti fuimus operationem. Sic ergo tertia demum hebdomade, postquam Nosocomium petiverant, a Clarissimo Praeceptore, tempore matutino telae luxuriantis facta est excisio.

Comprimebantur accurate vasa circumjacentia, ita ut vix sanguis funderetur, quod fuit praeterea impeditum, quum post operationem acuum ope ad se invicem adducebantur vulneris margines, adeoque vasorum claudebantur lumina.

Bene tunc sese habuit infans, sed tempore meridiano erat soporosa, non autem febrilis; per noctem fuerat quieta, sed matutino tempore siticulosa.

Die sequenti, calor corporis auctus; erat morosa infans nihilque nisi potum petebat. Vulneris conditio bona. Post aliquot dies sublatae fuerunt acus.

Intumescebant autem semper vulneris margines inque ipsis carunculae conspiciebantur luxuriantes; orum vulneris partes exteriores magis magisque a se invicem divergebant, plagamque constituebant satis latam, laete crescentibus obsessam carunculis; obtinuit haecce vegetatio intra quatuordecim dies. Ne igitur pergeret hocce malum, impositum est vulneri causticum e Potassa fusa, cujus ope fuerunt destructae excrescentia luxuriantia, vulnerisque ora per Emplastra glutinantia facilius ad se invicem adducta fuerunt. Tarda autem fuit conglutinatio; erat minus vividus vulneris adspectus; color triste ruber, laxus partium habitus, pus secretum tenue (Lotiones ex Aqua Aluminosa). Exinde multum profecimus; quae jam quodammodo ulceris adepta fuerat habitum plaga, nunc iterum vulneris suppurantis referebat naturam: pus magis laudabile, consolidatio celeris. Non autem regularis supererat alae nasi forma, ita ut viro Clarissimo semper in animo sit hujus intumescentiae demere partem superfluam. Propter dentitionis vero negotium fuit dislata operatio, quo factum est, ut feriis instantibus aestivis, hocce nondum praestari potuerit auxilium.

III.

MORBI

IN QUIBUS CORPORA ALIENA SESE EVOLVUNT IN ORGANISMO.

Observatio I.

HYDROCELE TUNICAE VAGINALIS TESTIS. OPERATIO PER INCISIONEM.

Die 16 Mensis Martii hujus anni, in Nosocomio auxilium quaerit Jan P... propter scroti tumorem, quo jam per octo fere annos laboraverat, cujus vero incrementum praesertim ultimis mensibus virum reddiderat maxime sollicitum; annos natus 56, temperamento est praeditus sanguineo et constitutione satis robusta. Sibi videtur malum initium cepisse aeger ante 12 annos, post laesionem in eodem loco, quo postea tumor sese evolverat. Ab illo inde tempore sensum perceperat tensionis, vario tempore auctae, non vero tam vehementis, ut labores percipere non potuerit. Intu-

mescentia ab inferiori scroti parte lateris dextri duxerat initium, sensimque superiora versus sese extenderat.

Scroti instituta exploratione, sequentia notantur symptomata objectiva:

Refert scroti pars dextra formam oblongam absque ulla cutis circumdantis mutatione. Aeque minus, ac per aliquam corporis actionem, tussim e. g. aut cursum ipsius augetur magnitudo, imminui potest per pressionem aut in abdominis reduci cavum. Sensus adest fluctuationis: invenitur testis in scroti parte superiori et posteriori: funiculus spermaticus supra tumorem facile potest circumscribi; candelae flamma pone scrotum posita, tumor pellucet: ex quibus gitur facile constabat, adesse *hydrocelen tunicae vaginalis testis.*

Quum vehementer a malo liberari cupiebat aegrotans, neque ullae aderant causae, cur palliativa modo institueretur cura, die 21 Martii a Clarissimo Praeceptore nostro facta est operatio per incisionem.

Nulla sub operationis negotio haemorrhagia, aut alia phaenomena molesta evenerunt. Multum profecto ex apertura exiit serum, tuncque certius adhuc constitit nullam adesse testis degenerationem. Inducebatur inter tunicam et testis superficiem linteus carptus Ungto inunctus simplici, dum per emplastra glutinantia ad se invicem adducebantur plagae vulneratae ora; suspensorii porro ope haecce continebantur, aegrumque in lectulo depositum quietem jussimus decubitumque in dorsum.

Erat nox sequens quieta, aeque ac dies proximus; ad vesperam vero 22 Martii pulsus tangebatur febrilis, calor corporis auctus, dolor capitis, lingua pura, alvus regularis. Dolores erant suscitati in scroto pungentes, dum tactus non absque molestia ferebatur. Die quarto post operationem, ubi

est sublatus linteus carptus atque mutatus, de inflammatione satis evoluta nobis constitit, dum 6to die perfecta jam erat ingressa suppuratio. Pro potu Dec. Hord. c. Roob Ribes. Erat adauctum multo testis volumen et indurata ipsius compages. Regulariter porro omnia sese offerebant, neque ulla amplius symptomata memoratu digna observabantur, nisi quae post clausam scroti aperturam, adhuc superfuit testis inflammatio ipsiusque aucta magnitudo; pressionem bene quidem ferebat aeger, sed interdum dolores ab ipso percipiebantur ingrati: cura instituebatur per compressionem secundum methodum Frickianam. Tum curam radicalem hydroceles instituisse mox constitit; post 14 enim dies omnis orchidis disparuerat intumescentia, aegrumque dimisimus e Nosocomio sanatum.

Observatio II.

CALCULUS VESICAE URINARIAE.

Hendrik van Kl......, temperamenti sanguinei et constitutionis bene evolutae, die 28 Maji recipitur in Nosocomium Academicum. Puer hic quatuor annos natus jam a primo aetatis anno urinae emittendae perpessus erat difficultates, ita ut saepius noctu e somno evigilaret et cum dolore lacrymisque ejiceret lotium. In dies hujus mali increscebant molestiae; dolorem puer, si urinam emitteret, querebatur abdominis; flexo corpore sub dentium stridore interruptum ejiciebat urinae rivulum, quem dein aucto dolore, guttulae succedebant paucae; tum tenesmi faeces absque voluntate producebant, et defessum post talem carnificinam per aliquod tempus relinquebant puerum; glan-

dis pruritum ostendit aeger, hancce saepius arripiens partem; magna in lotio emisso conspiciebatur muci copia; nunquam vero calculum produxerat, sed granula quaedam arenosa, quae psammismi modo mentita erant affectionem.

Per catheterismum a Cl. Broers institutum et digiti in anum introducti explorationem patuit, adesse in corpore vesicae calculum magnitudinis parvi ovi columbini, quare a Cl. Praeceptore fuit proposita atque die Junii 9 instituta cystotomiae operatio; facta est sectio lateralis, per Lithotomum tectum (Lithotome Caché); tum forcipis soliti ope in vesicam inmissi tres simul extrahebantur calculi, qui ea erant magnitudine, quam Cl. existimaverat. Quoniam vero multae forcipi adhaerentes provenere arenulae, per syphonem aqua calida in vesicam injiciebatur, qua multa adhuc granula extrorsum effluebant arenosa. Sic feliciter peracta operatione, in lectulum deponebatur puer, spongiae frigida madefactae aqua vulneri adja cebant, saepiusque mutabantur, dum pro usu interno dabatur Emulsio Amygdalina.

Die 10 Junii. Reactio vasculosa, calor corporis auctus; noctu questus erat sitim; vulneris optimus habitus; urina per vulnus destillabat; alvus naturalis. Ead. Emulsio.

Per duos dies sequentes vasorum perspicua reactio; conspiciebantur in spongia vulneri adposita arenulae, quae per vulneris adhuc proveniebant aperturam. Vulneris conditio optima; urinae parva copia per urethram evacuabatur. Animus pueri hilaris, appetitus bonus, bona digestio, alvus regularis. Eadem Emulsio.

Post tres ergo dies remanebat febris. Clauso, post tres hebdomades, vulnere, feriis aestivis intrantibus, nos reliquit puer sanatus.

IV.

DEGENERATIONES.

Observatio I.

CARCINOMA AD GENITALIA. (VERRUCAE CANCROSAE).

Die 31 Octobris in Nosocomium est recepta Johanna van der E... rustica, annos nata 42, temperamento praedita lymphatico et constitutione nervosa. Laboravit ante pubertatis annos exanthemate quodam in capite, cujus nulla supererant vestigia post catameniorum proventum; in brachio sinistro adsunt cicatrices ulcerum scrofulosorum; fluere coeperunt menses anno aetatis 17, magna semper sese offerebant copia, magnosque ventris provocabant dolores; ab anno aetatis 41 catamenia non amplius provenerant. Connubium iniit anno aetatis 24, in quo undecim peperit infantes, quibus omnibus praebuit ubera, si duos excipiamus ultimos, qui mortui nati erant. Graviditatis tempore venae cruris sinistri semper erant varicosae. Nunc femina auxilium quaerit

pro ulcere in inguine atque excrescentibus in femore et parte ventris lateris dextri. Jam a prima aetate, ut sua sibi retulerat mater, fuerat affecta excrescentibus, quae verrucae esse, facileque per deligationem deleri posse sibi videbantur; quod opus, 12 annis nunc elapsis, incepit post puerperium, quoniam ultimo illo tempore vegetatio haec maxime accreverat; quae adfuerant in facie, causticorum ope felici cum eventu delevit; erat autem tristis hujus deligationis effectus: irritata enim haecce corpora aliena in dies fiebant majora, seseque extendentia cum se invicem confluere incipiebant. Tunc Medici cujusdam imploravit auxilium, qui Unguenti Nutriti inunctionem in loco affecto praescribebat; quod factum est absque malo aucto, nec vero imminuto. Res sic sese habebant usque ad hyemem praeterlapsam, quo tempore post dystoikiam inguinis ulcus magis magisque augebatur, ita ut proserpente partium edaci malo, nudum conspiceretur partis dextrae os pubis. Postquam tunc varia remedia interna externaque fuerant adhibita, quodammodo ipsius emendabatur status, non autem ita, ut de cura hacce felix posset exspectari eventus.

Hujus mali examen sequentia nos docuit: Adsunt excrescentia in regione inguinali dextra, profunde rubra, ita concreta, ut ulcus revera constituere videantur, dura, exstantia, marginibusque luxuriantibus praedita; in femore et abdominis parte dextra usque ad labium pudendorum dextrum magis conveniebant cum naevis ita dictis maternis, mollibus brunneumque referentibus colorem. Nonnulla vero, quae antea mollia in femore erant, eodem modo ac in inguine fiebant duriora, magis rubicunda atque dolorosa; erant caeterum per ultimum tempus dolores pungentes atque lancinantes. Quoniam ad nullum morbi exanthema-

tici cutanei classem referri potuit haecce efflorescentia, incertaque igitur ipsius erat diagnosis, partis cujusdam excisae examen institutum est microscopicum. Secuta est hanc excisionem haemorrhagia quaedam, non autem notabilis. Inquisitio microscopica sequentes offerebat notas: cellulae apparuere oblongae, caudatae, nucleum includentes, quarum nonnullae ita erant conjunctae, ut primo adspectu speciem fibrillarum referrent.

Cff. quae leguntur in opere Fuchsii de morbis exanthematicis, Vers. Belg. Pars I, pag. 32, et Pars II, pag. 663.

Erat porro hujus aegrae alvus tarda, semper medicaminum ope promovenda; ubi vero non deponebatur, statim sese offerebant tumores in abdomine, quae alvo promota non apparebant.

Nos igitur per inquisitionem microscopicam de natura carcinomatosa certiores, curam modo instituimus palliativam; alvum promovimus Pilularum usu laxantium. Vespere ad dolores leniendos cepit pulveres cum Pulvere Opii composito, et pro usu externo Decoct. Capitum Papav. albi.

Observatio II.

CARCINOMA FAUCIUM.

Die Octobris 30 recipitur Johannes den D...... rusticus, vir maritatus, annos natus 48, temperamentum cholericum et constitutionem referens robustam. Nunquam morbo quodam interno aut externo fuerat obnoxius, sed semper optima fructus erat valetudine; ante 5 autem menses dolorem per-

ceperat in faucibus praesertim sub deglutitionis opere, non autem tam molestum, ut Medici necessarium credidisset auxilium. Paulatim vero hujus mali crescebant molestiae, ita ut, ubi post somnum fuerint aridae factae faucium partes, sibi quam maxime dolere inceperint et loquelam epulasque ingrata reddere coeperit malum incognitum. Dolores tunc erant pungentes, ut aeger describit, ac si quis per acum inopinato partes tangebat. Adest ulceratio notabilis in faucibus, sese extendens ab uvula juxta palatum molle, arcusque palatinos ad tonsillam lateris dextri; hujus ulceris adspectus est luxurians, in fundo excrescentia laete rubentia, lympha flava intermixta; margines valde duri, durities quaedam tumorque glandularum submaxillarium, quae interdum doloribus corripiebantur lancinantibus; in parte uvulae dextra excrescentia inprimis luxuriantia, fungosa. Nullae ceterum sanitatis laesae ab aegro moventur querelae; appetitus bonus, alvus regularis, color cutis normalis, oculorum sclerotica flavescens, animus hilaris, nullius periculi conscius.

Nunquam morbo laborasse syphilitico affirmabat aeger, neque genitalium perscrutatio aliarumque regionum aliquid certi hac de re nobis indicabat. Pro oris collutione Dec. Althaeae. Quamvis et ulceris habitus et glandularum adjacentium intumescentia, affectionem carcinomatosam indicare videbantur, reliqua tamen aegrotantis conditio, libera prorsus a characteristicis hocce malo laborantium signis, diagnosin nostram quodammodo reddebat incertam.

Qua certius igitur de morbi natura nobis constaret, inda gationem microscopicam instituimus: partem nimirum uvulae luxuriantem abscidimus, (movebat dolorem vehementem non vero haemorrhagiam haecce abscissio); res tamen non erat omni dubio maior, quapropter seqq. data sunt:

Die 17 Nov. Rc. Jodaret Potassii dr. β S. in aq. unc. viij.
Ext. Gram. unc i Ds. B. de die C.
Rc. Rad. Sarsapar unc. ij, Rad. Bardan. unc. i c. l. a.
ad. col. unc. x. Roob. Sambuci unc. i. Ds. obc.

Erat hujus viri per ultimos dies alvus interdum tarda, majoresque sibi videbatur percipere dolores, si alvus non rite deponebatur. Rc. Elect. Lenitivum.

Augebatur interdum glandulae submaxillaris partis dextrae magnitudo et durities profecto scirrhosa, dolores ipsum magis magisque vexabant lancinantes inprimis noctu, ab ulcere orientes in faucibus seseque ad humerum usque propagantes. Molestissima deglutitio; laedebatur corporis nutritio, ita ut emaciatus jam cerneretur vir antea robustus; collapsa facies, nasus acuminatus, tristisque oculorum intuitus gravem revera indicabant morbum corpus animumque laedentem. Ulcus ipsum magis magisque sese extenderat, palatique mollis et arcuum devastaverat partes; saliva continuo ex ore stillabat, sibique ipsi foetorem ingratum per os ad nares adsurgere dicit homo. Sic res sese habebant medio mense Decembri; omisimus tunc Jodureti Potassii usum et Dec. Lignor; quo vero lenirentur dolores nocturni, tam vehementes, ut debilitatus jam ex vegetatione aliena vir infelix, ne somno quidem recreari potuerit, Acet. Morphii praescripsimus. (Rc. Acet. Morphii gr. iv. Sacch. alb. dr. β. m. f. p. N°. iv. Ds. Vespere unus pulv.

Hinc dolores quodammodo sopiebantur, sed malum magna vi sese evolvebat; mox aegri vires ita erant imminutae, ut lectulum relinquere fere non amplius potuerit; fiebat faciei color stramineus odorque dispergebatur ex ore fere intolerabilis; in dies tunc dirissimi mali crescebant vires: jam mensis Januarii anni 1846 initio prostratus jacebat, deglutire

aut loqui non amplius poterat, dum ex ore continuo absque voluntate fluebat humor ichorosus valde foetens; erat fere semper, ubi dormiebat, respiratio stertorosa, pulsus hecticam indicans febrem; lingua rubra, irritata, alvus regularis; dolores vehementissimi, qui in aperiundo ore nascebantur, vetabant, ut ulcus internum ultimis diebus conspicere potuerimus; erat imminuta glandulae submaxillaris durities. Diem supremum obiit initio mensis Martii anni sequentis.

SECTIO CADAVERIS.

Fauces superficie quasi gangrænosa tectæ. Palati mollis, uvulæ, tonsillarum vix vestigium superest. Passim excrescentia fungosa, ex quibus plurima alte sita unumque in epiglottidis facie. Glandulæ submaxillares notabilis magnitudinis, extrinsecus duræ, scirrhosæ, intus vero emollitæ et exulceratæ. Textus interjacens cellularis solito durior, idem in colli latere dextro, quo et carotis inclusa erat, venæque jugulares; tamen tumor non erat ejusmodi, ut vasa comprimi viderentur; reliquarum partium nullae adfectae.

Observatio III.

TUMOR FIBROSUS. EXSTIRPATIO. REDITUS.

Leentje van G......, 28 annum aetatis agens, temperamenti sanguinei et constitutionis scrofulosae die 10 Nov. 1845 in Nosoc. nostrum recipitur. E parentibus sanis nata, bona

semper gavisa erat valetudine, neque unquam, licet diathesin ferens scrofulosam, in aliqua corporis regione exinde perceperat mala. Anno aetatis 17, menses provenerunt, semperque tempore suo atque copia normali ad hoc usque tempus locum habuerat periodica excretio. Ante hos tres vero annos (1842) in regione hypogastrica in inguine dextro parvus erat exortus tumor, qui e sede sua in latera dimoveri potuit, mollis, sine doloris sensu tangendus; increvit sensim hicce tumor, magisque fiebat durus, ita ut, quum puella malum detegere non ausa fuerit, neque igitur fuerit allatum auxilium, post tres annorum curriculum magnitudinem acceperit notabilem: erat enim diameter transversa 3″ et diameter longitudinalis $4\frac{3}{4}$″.

Quamvis initio non fuerat dolorosus tumor, anno ulteriori antequam in Nosocomium venerat, dolores in ipso interdum percipiebantur a filia pungentes.

Erat porro, ut ex exploratione patuit, tumorem obtegens cutis naturalis, non mutata; licet durus esset ad tactum tumor, tamen scirrhi duritiem non habebat; tactus absque doloris significatione, forma ad ovalem accedens, aequalis; non cohaerens tumor per pedunculum aut basin cum viscere quodam abdominis. Nulla in reliquo corpore dyscrasiae cujusdam signa.

Diagnosis: tumor, maxime conveniens cum tumore fibroso.

Erant nullae ceterum laesae organismi functiones, maximeque tumoris exstirpationem cupiebat puella; quae operatio die 3io post adventum, a cl. Praeceptore Broers est instituta. Operatio nullis molestiis turbata; nullus sanguinis fluxus notabilis, nulla leipothymia, sed constanti animo omnia patiebatur puella, quae ipsam a malo liberarent. Postquam igitur accurate optimoque successu fuerat sublatus tumor,

neque ipsius particulae aut germina superesse videbantur, vulneris marginum facta est conjunctio sic dicta cruenta. Per quatuor dies insequentes reactio quaedam notabatur vasculosa; lingua pura, appetitus bonus, somnus quietus. Sitis quodammodo aucta; alvus regularis. Utitur potione communi.

Pergebat sic absque symptomatibus memoratu dignis vulneris consolidatio per primam intentionem, ita ut post sex hebdomades cicatrix fuerit inducta prorsus bona; nullus dolor ad tactum, nulla in circuitu durities, quae aegram aeque ac nos de bene peracta operatione reddebant securos.

Ad suos igitur rediit puella laeta et prorsus sana; erat autem brevis felicitas. Quatuordecim enim dies, postquam Nosocomium reliquerat, in inferiori cicatricis parte iterum detexit tumorem, parvum, rotundum, tum in superiori et dein in media cicatrice; mox tumor ita increvit ut dimidiam fere prioris referret magnitudinem.

(13 Febr.) Initio mensis Februarii Nosocomium iterum petiit, ejusdemque naturae, minorem vero, invenimus Tumorem. Excreverat revera e cicatrice alter tumor, cujus iterum a puella cupiebatur exstirpatio: quae instituta est a Praeceptore cl. die 27 Februarii 1846. Omnis iterum observabatur in exstirpando cura, ne telae superessent germina, ex quibus iterum sese evolvere possent ejusdem indolis intumescentiae; non per primam tunc ut vocant intentionem, sed per alteram sanata fuit plaga.

Nulla, durante operatione locum habuit haemorrhagia notabilis, parvaque quae sanguinem emittebant vasorum lumina, per ligaturam facile fuerunt clausa. Bene sese habuit post operationem puella atque quieta decumbebat. Post aliquot autem horas aegrotantium matrem rogabat potum quendam

cardiacum puella, quoniam propter debilitatis sensum animo linqui sibi videbatur; quae, ubi vinum ipsi propinabat, faciemque conspiciebat collapsam, oris labia pallida, circulosque circa oculos coerulescentes, atque sanguinem per fasciam plagae adjectam effusum observaverat, nostrum statim implorat auxilium. Jam magna erat amissa sanguinis copia, quae omnem inquinaverat fasciam, atque coagulata in lectulo inveniebatur; pulsus debilis, tremulus. Statim est dissoluta plagae fasciatio, magnumque satis sanguinis coagmen sese in vulneris formaverat superficie, sub quo sanguis continuo et guttatim effundebatur. Coagmine dempto purgatoque vulnere, statim Solutio Aluminosa est adhibita; cardiacum propinatum; stetit tunc sanguinis fluxus, viresque sensim rediere. Quae post operationem erant ligata vascula, integram adhuc servabant ligaturam; quorum autem non conspici potuerunt lumina minima vasa, hujus haemorrhagiae fuerant causa. Tunc linteum carptum hac lotione madefactum imposuimus plagae.

Die 28 Febr. Nox quieta; facies minus pallida, pulsus major, frequens, cephalalgiam puella accusat frontalem, sitis nulla. Vespere: reactio magis excitabatur febrilis; faciei color auctus, totius corporis calor gratus, pulsus frequens (98).

Sic per duos dies sequentes aderat febris, levi autem gradu, neque magnas provocans molestias. Appetitus laudabilis, alvus regularis, nullus vulneris dolor, ipsiusque optimus habitus; diaeta leviter nutriens.

Die 3io Martii. Prorsus vacabat febre puella. Per noctem vero dolores senserat in plaga; est ipsius rubra superficies, calor auctus, inflammationem indicantia.

Die 6to Martii. Incipiebat suppuratio, quae diebus sequentibus increvit, eratque laudabilis, secernens pus blandum, flavescens, crassum.

Per secundam nunc intentionem sensim perficiebatur sanatio, ita ut die 1 Maji Mensis nos reliquerit puella, melius exoptans, quam antea, fatum.

Microscopica hujus tumoris indagatio, a viro doct. Gobée facta, sequentia docuit: Priorem tumorem constare ex tela, quæ conjunctiva vocatur; alterius stroma ex eadem tela, hoc vero discrimine, ut contineret juniores cellulas caudatas magna copia, quibus uterque tumor potissimum distinguatur.

Accepimus, operationem alteram non maiori successu institutam fuisse quam priorem, utpote qui eodem loco tumor excrescat.

Observatio IV.

LUPUS EXUBERANS.

Die 17 Mensis Martii hujus anni Nosocomium petit Christiaan Schr..... ex urbe Woerden, annos natus 29. Virille temperamento praeditus lymphatico et constitutione scrofulosa, jam puerili aetate hujus dyscrasiae obnoxius fuerat molestiis, et tinea in capite laboraverat scrofulisque in collo; disparuit vero in capite exanthema, tumentibus colli glandulis. Anno vero aetatis decimo quinto, in apice nasi oriebatur locus ruber circumscriptus, cujus color sensim magis reddebatur coerulescens, dum passim sese evolvebant vesiculae rumpentes, confluentes, tandemque ulcus constituentes acinis praeditum multis rosaceis. Quum hujus mali neque medicinae ope, neque diaetae instituebatur cura, in

dies increscebat ulcus, partes delebat adjacentes et post duorum annorum cursum nasi alas prorsus consumserat. Tum vero anno sequenti, in utraque gena nascebantur tubercula, ad superficiem rubra, satisque copiose congregata; quae sensim transibant in suppurationem, dum crustae apparebant dein, post quarum lapsum, superficies conspiciebatur rubra, inaequalis, excrescentibus praedita, quae humorem secernebant purulentum. Medici tunc cujusdam, cujus medicina bonos habebat effectus, implorabat auxilium, quem vero dein, nescio ob quam causam, iterum reliquit. Sed malum proserpebat, confluebant loci degenerati, luxuriabant caruncula, planumque constituebant ulcerosum, praeter frontem atque oculos omnem occupans faciem; labium inferius, ante annum fere adfectum, valde tumescit, retroflexum, crustasque fert brunneas; in labio superiori ulcerum adsunt cicatrices, quae maxime conveniunt cum iis, quae post ulcerum combustorum observantur cicatrisationem. In ejusmodi conditione nobis traditur aeger.

Diagnosis: Lupus exuberans, pertinens ad Cl. Dermapostases et Familiam Scrofuloses. Cf. Fucns de morbis exanthematicis. Vers. Belg. II Pars. pag. 298.

Licet in malo tam inveterato et variis jam oppugnato medicaminibus, prognosis infausta nobis esset edenda, ad aegrotantis attendentes diathesin scrofulosam, Jodureti Potassii jussimus usum. Bene hocce ferebat medicamen, neque ullas ventriculi accusabat molestias.

Ubi apparuit malum revera non amplius sese propagasse, quotidie sensim Jodureti Potassii auximus dosin; addidimus Decoct. Lignorum. Ut in ejusmodi saepe obtinet malis naturae pertinacioris, propter fundum, in quo crescunt, alimento divitem, sic etiam in nostro aegrotante nunc meliora,

nunc pejora augurabatur faciei adspectus: fiebant enim in nonnullis locis molliora excrescentia minoraque, dum imminuebatur irritatio; lacte vero in aliis tum partibus sese evolvebat. Postquam autem per duos menses in Nosocomio curatus fuerat æger, et generalis conditio; et ipsius multo melius sese habebat faciei ulcus; in utraque profecto gena, in qua exuberantes praesertim conspiciebantur carunculae, crustae formabantur coloris brunnei, post quarum lapsum cutis remanebat inaequalis, arida, rubro et coeruleo intertincta colore; detumuerat labium inferius, humorisque purulenti minus copiosa reddebatur secretio. Auximus iterum medicaminis nostri dosin, ita ut ultimis ante ferias aestivas diebus, Jodureti Potassii 42 grana quotidie propinarentur. Tum vero 20 Junii die nos reliquit, neque dubium nobis supererat, quin si perseveraret aegrotans cum medicamine indicato, a malo tandem liberaretur sane foedo. Jussimus igitur Jod. Pot. usum protractum.

Observatio V.

SCIRRHUS MAMMAE DEXTRAE. AMPUTATIO MAMMAE.

Mensis Aprilis die 27 in Nosocomio petit auxilium Gijsje van H....., 56 annos nata, temperamentum lymphaticum et constitutionem scrofulosam prae se ferens; vixit in coelibatu, sibique semper regulares atque normales provenerunt purgationes menstruae, quae vero anno aetatis 49 substitere,

neque suppressae aliquam reliquere molestiam, sed ut antea, et nunc sanitatem non laeserunt integerrimam. Praeter affectionem scrofulosam in capite levem, infantili aetate, nullo unquam fuerat obnoxia morbo, sed animo hilari et vivido praedita, corporis laesae functionis cujusdam nunquam observaverat molestiam. Ante duos vero annos in glandula mammae dextrae infra papillam ortum erat tuberculum, duritici satis notabilis, initio parvum neque dolorificum, sed in dies vegetans atque provocans dolores scirrho proprios: erant enim lancinantes, seseque ex indurationis loco, tanquam e foco ad axillam brachiumque dextrum evolvebant; tum glandulae axillares magnitudine accrescebant, quarum duae inprimis distinguebantur valde induratae. Ubi accuratius exploravimus mammam, sequentia observabantur: erant hujus mammae venosa injecta vasa, durities scirrhosa infra papillam, scirrhi cum cute cohaesio, ad tactum dolor; glandulae axillares tumentes et induratae; licet cutis color in facie et reliquo corpore non esset vividus, tristis vero ille atque characteristicus in malo scirrhoso deficiebat adspectus. Normales ceterum organismi functiones; appetitus bonus, alvus regularis, animus hilaris.

Maxime ab aegrotante hujus mali flagitabatur excisio. Quum vero glandularum axillarium intumescentia atque durities, harum quoque partium postularent exstirpationem, fuit proposita atque instituta mammae amputatio; quae facta est die Maji 2, a Dexterrimo Chirurgo Leidensi van Iperen.

Ita tum incisionis est directa via, ut simul glandulae tollerentur axillares induratae; cujus operationis optime gaudebamus successu: nulla haemorrhagia notabilis, nullaque symptomata, quae operationem reddebant difficiliorem; post-

quam circa vasa circumjectae erant ligaturae, per Emplastra glutinantia ad se invicem ducebantur vulneris ora, quibus linteus carptus unguento simpl. inunctus imponebatur, dum spicae ita dictae pectoralis ope, haecce omnia continebantur; lectulo impositae feminae potio propinabatur ex Dec. Hord. c. Roob Ribes. Ubi mammae sublatae locus perscindebatur scirrhosus, sonus ille audiebatur peculiaris, unde Galli dicunt: il crie sous le bistouri.

Die 3^tio^ Maji. Nox insommis; reactio vasculosa, dolor capitis, sitis aucta, lingua mucosa, humida, nulla alvus. Ubi quieta decumbebat aegra, nullos in loco vulnerato accusabat dolores. Iter. potus.

Die 4 Maji. Nox quieta, imminuta cephalalgia, sitis minus intensa, pulsus frequens febrilis, alvum deponit naturalem; plagae vulneratae adspectus bonus, sanguis coagulatus ad fossam axillarem congregatus.

Die 5 Maji. Optima feminae conditio; quies per noctem adfuerat grata, minor reactio, capitis dolor fere nullus, lingua humida, alvus nulla. Solvebatur facile lotionis ope, sanguis ad fossam axillarem congregatus; vulneris vivida atque bona facies.

Per sequentes tunc 14 Maji dies, feminae status valde erat exoptatus; alvum vero non rite atque difficulter deponebat. Rc. Elect. Lenitiv.

Die 20 Maji. Noctu febre fuerat correpta, a levi orta horripilatione, quam calor et sudor erant secuta cum capitis dolore frontali; pulsus adhuc febrilis; vulneris superficies profunde rubra, vasorum injectio, dolor interdum pungens, quae omnia statum plagae vulneratae indicabant irritatum et congestivum. Imponitur vulneri cataplasma ex Hordeo et corporis jubetur animique quies. Eadem utitur potione.

Die 21. Maji. Disparuit congestio atque dolor, caruncu lae naturales neque exuberantes, colorem iterum adeptae sunt vivide-rubrum. Omnis feminae emendata conditio. Omittitur cataplasmatum usus; imponitur iterum vulneri linteus carptus. Pro usu interno Electuarium et potio refrigerans.

Tum magis magisque ad consolidationem vergebat plaga, nullaque ad alios locos dyscrasiae observabantur carcinomatosae signa. Medio Mense Junii prorsus fere erat inducta sanatio. Erat revera emendatus universalis status corporis; qui vero quamvis bonus videatur, vix dubium superest, quin malum fiat recidivum; nostramque suspicionem non vanam fuisse, patuit ulteriori examine post ferias æstivas instituto, quum revera in ipsa cicatrice jam novos Tumores scirrhosos reperimus.

Observatio VI.

CARCINOMA UTERI.

Die 9 Maji mensis recipitur in Nosocomium Hermina Dr....; quae accepi ab Amico Medico, sub cujus cura antea versabatur, prius referam, tum quae ipse vidi, enumerabo. Hujus igitur feminae, annum aetatis agentis 61, saepiusque partum enixae, jam per tres annos non amplius fluxerant menses, ubi haemorrhagia oriebatur uterina periodica, qua per novem fere laboraverat annos, ubi Amicus ipsam vidit primum atque curavit; erat tunc initium mensis Aprilis. Maxime jam debilitata, lectulum relinquere fere non amplius

potuit, dum faciei adspectus atque color cachecticus, tristis, morbum pronunciabat corporis delentem vires. Melior antea hujus infelicis fuerat conditio familiaris, sed dein rebus adversis exposita, fatum jamdiu tulerat triste. Erat haemorrhagia nunc imminuta, nunc iterum aucta; qui excernebatur humor, sanguis erat purus, atque coaguli frustula: dolores patiebatur terebrantes. Exploratione per digitum instituta, tangebatur vagina valde larga cum parietibus maxime relaxatis; ad marginem superiorem ostii urethrae usque ad ostium uterinum, quod erat apertum et callosis obsessum eminentiis, tegumentum omne tangebatur induratum.

Speculi ope cernebatur scirrhus extensus, nusquam adhuc in carcinoma traductus apertum; ostium uterinum coagulo repletum, impediebat, quo minus uterus potuerit conspici internus.

Remanebat interdum haemorrhagia per aliquot dies: sed mox iterum apparuit doloribus conjuncta vehementibus, sub quibus transibat in carcinoma scirrhus. Tum oriebatur urinae incontinentia, et humoris male olentis excretio. Vino opii aromatico usa est, dum per catheterem elasticum in uterum demissum, facilius emittebatur humor secretus.

Tristis profecto, ubi in Nosocomium transferebatur, aegrotantis erat conditio: Urina continuo stillans cum ichore acri mixta, partes irritabat atque delebat circumjectas, dum dolores terebrantes et odor ingratus vitam reddebant intolerabilem. Exploratio carcinoma apertum valde extensum ostendebat; tunc ostium uteri clausum videbatur.

Post sex dies mors vitae infelicis imponebat finem.

Cadaveris sectio: Pars dimidia marginis uteri anterioris indurata; vaginae exulceratio, quae vesicae urinariae parietem penetraverat posteriorem, unde factum est, ut vesicæ

cavum cum vagina commercium aleret. Ulceris superficies tangebatur arenosa; in tela cellulosa prope os ischii sinistrum conspiciebatur abscessus. Intestinum rectum sanum; sani pulmones absque tuberculis, ut et reliqua organa. In mammarum glandulis continebatur materies crassa, purulenta, cujus vero inquisitio accuratior adipis ostendebat globulos.

Notandum, in hujus feminae cadavere multum fuisse contentum adipem.

Exploratio Microscopica a. v. Doct. Gobée facta sequentia docuit:

A.

(a) *Incrustationem constare ex urate ammoniæ. Per acidum aceticum magnæ prodibant crystalli acidi urici.*

(b) *Crystalli hexaedræ ex Cystine.*

(c) *Materies mammis contenta, est massa subtilis granulata ex adipe et albumine constans.*

B.

Massa scirrhosa ex uteri pariete.

(a) *Stroma ex tela cellulari.*

(b) *Cellulæ caudatæ cohaerentes.*

(c) *Cellulæ magnæ irregulariter formatæ, utplurimum nucleum multaque granula continentes.*

V.

MORBI SYPHILITICI.

Observatio I.

MORBUS SYPHILITICUS.

Martina B...... ancilla, annos nata 26, temperamenti lymphatici et constitutionis scrofulosae, suscipitur in Nosocomium Academicum die 18 Septembris anni 1845. Affecta est morbo syphilitico deuteropathico satis gravi, ophthalmia oculi sinistri et paralysi brachii ejusdem lateris.

Duobus vitae suae mensibus exceptis, quibus fluore albo laboraverat, se bona semper fuisse gavisam sanitate narrat aegra; dein vero ex coitu impuro blennorrhoea afficiebatur, cui postquam quatuor exstiterat hebdomades, subito femorum acces sit intumescentia, post duos dies elapsos sponte rursus evanescens. Aegra affectionem hancce nihili pendens, perrexit diaetae erroribus, inprimis abusui spirituosorum indulgere. Corpore sic magis magisque in cachexiam ruente, contusione

laedit pedem dextram, quo facto parvum oriebatur ulcus, rotundum, satis profundum, non ante 4 mensium spatium rursus sanatum. Duos menses post, in inferiori cruris parte macula apparebat sponte in ulcus profundum abiens, quod ulterius serpere coepit. Variis tunc artis auxiliis, lotionibus, causticis, cataplasmatibus frustra adhibitis, maloque semper ingravescente, nos adit. Referunt nunc ulcera, quorum plura exstant, tam parva profundiora, quam majora superficialia sequentem adspectum: fundus est inaequalis, saepe luxurians, ichorem acidum plorans; margines exhibent quodam modo duros et revolutos; phagadaenice proserpunt, cutisque inter ea splendens, cupreum refert colorem. Conveniunt igitur cum characteribus ulcerum syphiliticorum, quae in hocce solo scrofuloso laete crescebant; affirmant diagnosin caetera generalis lueticae affectionis signa. Adest enim blennorrhoea satis notabilis vaginae cum dolore in mictu, notantur dolores osteocopi ad frontem, scapulas, tibiam; apparent denique in anteriori vaginae parte varii tumores satis magni, tactu dolentes et facile sanguinem plorantes, qui condylomatum acuminatorum petiolatorum referebant speciem; per quae et tumorem nymphae dextrae introitus vaginae obruitur. Narrata quoque verisimile reddunt, syphilitici esse generis exanthema squamosum, cuprei coloris, quod ad alam nasi dextram gerit. (Syphilolepis. Cf. Fuchs. vers. Belg. II Pars. pag. 602).

Praeterea haecce puella satis graviter oculis laborat; in oculo sinistro Mense hujus anni Januario (tempus non procul ab illo, quo ulcus spontaneum in crure nascebatur) perceperat dolores validos, pungentes, pulsantes, cum rubore bulbi et palpebrarum; adfuit tum etiam photopsia, muscorum volitantium et variorum scotomatum visus; minuebatur oculorum acies;

vespere hoc malum erat pejus, ut et si corpus inclinaret; tum oriebantur vertigines: quare visus imminutus a congestione versus retinam, jure repeti posse mihi videtur. Hisce igitur sic sese habentibus, mense Junio magnum iter pedibus suscepit, ex quo nimis defatigata et temperiei injuriis exposita aegra, mox ulcera cruris et oculi affectionem multo aucta dolebat, dum et alter oculus gravi afficiebatur inflammatione. Nunc vero status oculorum sequens: praeter imminutam visus aciem et muscorum visum, oculus dexter sanus; sinister vero videndi facultatem fere amisit, rubet leviter sclerotica, adest epiphora cum photophobia; iris non expansa, neque iritidis praegressae signa; notantur dolores bulbi et partium circumjacentium.

Nec miseriarum narrationi hîc finis; restat enim loqui de paralysi humeri sinistri; summus humerus brachiumque rite nec tolli nec manus pronari potest; musculi emaciati, calor animalis minor; dolet brachium ad tactum secundum decursum nervi Mediani, et sponte sub temperiei mutatione. Causam hujus paralyseos citat aegra lapsum in summum humerum; aderant nec fracturae, nec contusionis signa.

Medicina fuit Joduretum Potassii, quod a granis 15 de die ad drachmam sumsit, neque unquam exinde perpessa fuit stomachi molestias; additum fuit Decoctum lignorum.

Ulcerum cura consistebat in fasciatione ita dicta expulsiva Underwoodii.

Sub ejusmodi medicinae usu, sensim emendabatur aegrae conditio, ita ut, postquam per septem menses in nostro degerat Nosocomio Academico, fuerit sublata blennorrhoea atque condylomata, ulcera sanata, dum ita bene sese habebat, ut nonnullis iterum incumbere potuerit laboribus, neque ullum nobis superfuerit dubium, quin ex continuato, ut jussimus,

nostrae medicinae usu, mox pauca morbi vestigia prorsus delerentur.

Observatio II.

DOLORES OSTEOCOPI VENEREI.

Jan R...., annum aetatis agens 32, vir temperamenti lymphatici et constitutionis scrofulosae, die 23 Septembris in Nosocomio nostro quaerit auxilium. Per duos menses erat vexatus doloribus, ut ipsos vocat aeger, rheumaticis, ita vehementer, ut saepius somnum capere non potuerit, quin lectulum relinquere fuerit coactus. Erant hi dolores vagantes, nunc caput, aut pectus, nunc iterum corripientes crura, ita tamen, ut redeuntes, eundem semper occuparent locum; praesertim porro, ubi corporis erat auctus calor per lectuli tegumenta aliaque sibi intolerabile fieri malum dicebat. Explorantes quas inprimis dolorosas describebat partes, frontem invenimus tactum recusantem, claviculam inaequalem, nodosque in corpore tibiae (Exostoses epigeniques. Ricord). Quae igitur jam erat orta de affectione syphilitica suspicio, magis magisque reddebatur verisimilis, aegrumque rogavimus, num antea, quodam laboraverit morbo; erat in promptu ex responsis affectionis explicatio: ante quinque enim annos ex coitu impuro sibi contraxit blennorrhoeam syphiliticam, atque ulcera ad penis glandem; jamdiu, antequam curam medico tradebat, fuit affectus, diuque, ut narrat, Mercurialium usu morbus fuit oppugnatus; pertinax autem malum

non facile, cui fuit inductum, reliquit fundum, sed magis magisque dispergens venenum, totum arripuit organismum, et debilem tristemque reddidit hominem. Tandem, post aliquot menses cura bene peracta gaudebat, neque ullae hujus affectionis residuae sese offerebant molestiae. Quid autem? An morbus statim repulsus, repulso symptomate? Quamvis enim et blennorrhoea et ulcera ad glandem cancrosa non amplius conspiciebantur, quod jam ex neglecta cura erat resorptum venenum, aliam sibi elegit provinciam, ossaque, quae vulgo afficiuntur, frontis, claviculae, tibiaeque corripuit. En dolorum origo.

In ejusmodi conditione nobis traditur aeger.

Jam statim aegro commendatur lectulus, atque propinatur Decoct. Lignorum. Die sequenti addidimus Joduretum Potassii, pilularum forma. Sic enim nobis proposuimus curam, ut sensim ab Jodureti Potassii dosi minori adscendentes facilius ipsi assuefaceremus digestionis organa; neque unquam ex ipsius usu ventriculi fuerunt provocatae molestiae. Qui forsan, ut ex aegri laboribus in aquis facile oriri potuerunt, suberant dolores rheumatici, post 7 aut 8 dies sub Lignorum Decocti usu, atque exinde provocatis sudoribus evanescebant, dum veri nunc sese offerebant dolores osteocopi venerei. Erat maxime sensilis, ita ut facile sibi contraheret catarrhum, aut ex digestione pravata laboraret; alvus plerumque tarda, promovenda per Electuar. Lenitivum.

Aegrotantem sic curabamus, atque nunc meliori gaudebamus conditione, nunc idem iterum dolebamus fatum. Semper autem, quam nobis proposueramus indicationem, quamque veram revera producturam esse sanationem sperabamus, sequentes, sensim adscendimus ad 40 tunc ad 50 grana

Jodureti Potassii de die; balneum tepidum alternis diebus praescripsimus, atque tandem a doloribus saltem liberare aegrum nobis contigit. Paulatim enim minuebantur, aut minus vehementes redibant, primoque frontem, maxime aliter dolorosum, relinquebat, tunc crura et claviculas; quae autem in tibia observatae fuerant inaequalitates sive exostoses epigeneticae remanebant non dolentes, atque tactum ferentes, quovis modo institutum. Post quatuor mensium curam, gratus nos reliquit homo sanatus.

Observatio III.

BUBO SYPHILITICUS. EXANTHEMA SYPHILITICUM. (SYPHILOPSYDRAX LENTICULARIS).

Joannes Wilhelmus M....., annum aetatis agens 32, temperamento praeditus cholerico et constitutione nervosa die 23 Septembris in Nosocomium est susceptus; queritur vir de dolore in regione inguinali dextra atque tumore in eodem loco, qui medicaminum externorum ope ante aliquod tempus fuit apertus, sibique gressum, quam maxime reddiderat molestum; quem locum, quum inquisivimus, patuit, adesse glandulam inguinalem suppurantem, omnesque tumefactas et irritatas partes hujus regionis circumjacentes. Anamnesin

hujus perscrutantes affectionis, sequentia, quae morbi naturam declarare potuerunt, ab aegrotante accepimus: praeter valetudinem, qua semper fructus erat, secundam atque firmam, durante vita, tribus laboraverat blennorrhoeis, quarum duae priores, quae ante aliquot annos obtinuerant, nulla alia syphilitici generis socia habuerunt symptomata, neque syphilidem pedissequam secundariam, sed, ut narrat aeger, per demulcentium usum, prorsus fuerunt repulsae. Non autem semper tam feliciter rem egit suam: Mense enim hujus anni Majo post coitum orta est blennorrhoea urethrae, quam brevi post comitabantur ulcera syphilitica tria in praeputio, atque tum bubo in regione inguinali dextra.

Praescriptae fuerunt aegro pilulae cum Deutochlorureto Hydrargyri, quae tamen ulterius propinari non potuerunt, quum post usum viginti pilularum aegro, aeris continuo vicissitudinibus obnoxio, ortus est dolor gingivarum, tum salivatio, ita ut dentes vacillare inceperint; disparuit tamen blennorrhoea, ut et ulcera in praeputio post cauterisationem Nitratis argenti ope institutam; non autem evanuit bubo, qui post frictiones ex Ungto Hydrargyri atque Emplastri vesicantis applicationem fuerat apertus. Hoc statu aeger susceptus est in Nosocomium, ubi bubo post cataplasmatum applicationem atque usum internum Decocti Lignorum brevi tempore fuit sanatus.

Quum nulla igitur, quominus res suas ageret, aderant valetudinis impedimenta, quin optime sese valere gaudebat, ecce die Octobris 17° orta est febris, a frigore ducens initium, atque regulariter caloris sudorisque percurrens stadia; nulla aderat cephalalgia, alvus quotidie naturalis deponebatur, sed lingua quodammodo mucosa, strato obducta albo, catarrhali. Caveat a frigore, iteretur Dec. Lignorum.

Die sequenti iterum paroxysmus locum habuit, quemadmodum et altero et sequentibus diebus quatuor, ubi recessit febris, neque in posterum rediit.

Febrem secuta est eruptio quaedem cutanea, primum in regione mentali, tum in facie, dein in brachiis cruribusque; erat varius hujus efflorescentiae adspectus pro variis locis affectis; sic enim, quod in brachiis et cruribus conspiciebatur exanthema, formam referebat macularum, profunde flavarum, in quarum media parte se ostendebat eminentia quaedam, quae in nonnullis transierat in pustulam in apice suppurationis habentem punctum; in regione vero mentali (ubi primum ortum erat exanthema), forma observabatur crustarum, quae decidebant, tum saepius regenerabantur, sed tandem cutim relinquebant adspectu sordidam; pruritus nullus. Quod igitur ad hujus exanthematis pertinet cursum, originem ducere videtur a maculis colore praeditis flavo, quae paulatim elevatae magisque evolutae pustulas referunt, ut ita dicam, crustaceas. Nullum superesse dubium, quin haecce efflorescentia in corpore morbo saepius affecto venereo, ad syphilidum reducenda esset familiam, satis facile intelligitur; pugnat pro hacce sententia exanthematis natura, habitusque, quae prorsus conveniunt cum genere syphilopsydrax et specie lenticvlaris. Cf. Fuchs. Pars. II. pag. 610.

Erat igitur instituenda cura antisyphilitica generalis, ut symptomata luis indicabant totum occupantis organismum. (Rc. Jodur. Potassii dr. i. Succ. Liquir. dr. ij ad Pil. N°. LX Ds. 3 de die 5); additum est Decoctum Lignorum. Per quinque dies proximos sine ulla mutatione notabili hacce usus est medicina, tum vero magis decidere incipiebant exanthematis crustae, plurimae autem, ut solent, redeuntes.

Die 12 Octobris. Aeger sibi ex tactu oriri dolores cristae

tibiae sub articulatione genu dicit, qui locus periostitide certe affectus videbatur. Tunc auximus Jodur. Potassii usum, ita ut 30 grana quotidie capiat; pergitur c. Decocto Lignorum.

Die 28 Octobris. Magis magisque praesertim in brachiis et cruribus disparet exanthema; propter alvum per biduum non motam, adhibetur Elect. Lenitivum.

Ab illo inde tempore salutaris apparebat curae effectus; fuerunt mox libera ab exanthemate brachia cruraque; quae frontem occupaverant et mentum imminuebantur; tibia omnem patitur tactum, neque ullae supersunt de molestiis querelae.

Die 29 Dec. Omnia exanthematis disparuerunt vestigia, quare die hujus mensis 31 profectus est ab omni malo liber.

Observatio IV.

ULCUS SYPHILITICUM LABII INFERIORIS ORIS. CONDYLOMATA.

Die 16 Octobris in Nosocomium recepta est Cornelia K......., ancilla Leidensis, 22 annos nata, temperamenti sanguinei et constitutionis validae.

Auxilium quaerit propter affectionem labii inferioris oris, ante octo hebdomades, post contusionem ortam; adest in

hujus labii parte intumescentia satis magna, dura, elevata supra labii marginem, colore praedita profunde rubro; in medio hocce tumore pars quaedam conspicitur ulcerosa, fundum praebens lardaceum, marginibusque circumdata duris violaceo colore indutis. Rogantibus num antea aliquo fuerit affecta morbo, respondit, se per aliquod tempus laborare fluore albo, satis copioso, ut sibi videbatur, orto propter menstruas obstructas purgationes. Propter ulceris in labio habitum naturamque fere persuasi, contagionem quandam specificam, huicce subesse affectioni, genitalium instituimus explorationem externam, atque speculi ope internam; et revera ad labia majora, atque in vaginae parte anteriori multa existebant condylomata; blennorhoea aderat satis notabilis; certiores sic de lue syphilitica, alias partes vulgo affectas exploravimus, sed neque in faucibus, neque in alia corporis regione mali aliquid invenimus.

Die 17 Octobris. Praescriptae sunt pilulae. (Rc. Protojod. Hydrargyri gr. ij. Succ. Liq. q. s. ut f. pill. N°. XII. Ds. Mane et vesp. un.). Pro lotione Aqua phagadaenica (Rc. Aquae phagadaenicae, Aquae depuratae āā unc iv. Ds. pro usu externo),

Die 23 Oct. Nulla adhuc observabatur mutatio notabilis; non quidem erat aucta labii ulceratio, fundusque quodam modo videbatur purior. Provenerunt interdum menses, quare genitalium explorationem distulimus. Functiones organismi caeterae normales. Iter. Pill. et Aq. Phagad. dil.

Die 31 Octobris. Multo melior ulcusculi habitus; intumescentia minor, minusque dura, color magis vividus, fundus non amplius sordidus, marginesque ipsum circumdantes magis applanati. Condylomata in genitalibus imminuta volumine, perstitit vero blennorrhoea. Queritur autem aegra de

gingivarum dolore, quae rubebant atque tumebant; salivationis igitur indicabant imminentis signa.

(Rc. Fol. Salv. Offic. unc i. inf. ad unc viij, Mellis Rosacei unc i. D. pro oris collutione). Intermittitur Protojodur. hydrarg. usus. Praescribitur sequens Decoctum: (Rc. Rad. Salsapar. unc. ij. Rad. Bard. unc. i. Coq. ad unc. xij. Roob. Sambuci unc. i. Ds. Obv.).

Die 6 Novembris. Omnis disparuit gingivarum tumor et dolor, metusque ne oriretur salivatio. Pilulae ex Protojod. Hydrargyri iterum fuerunt sumtae; tunc die Nov. 12 duplicata medicaminis dosis, absque salivationis proventu.

Sub tali medicina in dies emendabatur aegrotantis conditio, ita ut die Decembris 2do disparuerit oris ulcusculum, neque quae in genitalibus fuerant condylomata, nunc iterum speculo exploratis, fuerunt conspecta; fuit repulsa vaginae blennorrhoea, neque ullis hujus affectionis Syphiliticae secundariae supererant vestigia.

Die 12 Decembris Nosocomium reliquit.

Jam igitur fuisse resorptum atque dispersum luis syphiliticae venenum per totum corpus, ex ipsa labii ulceratione patuit. Labium enim laesum erat per contusionem; ubi vero aderat congestionis locus, sese inflammatio evolvebat, Characterem mox praebens affectionis Specificae, qua fuerant impraegnati corporis humores.

—

Observatio V.

CONDYLOMATA AD GENITALIA ET ANUM.

Tempore vespertino diei 14 Nov. anni 1845 nostrae curae committitur femina parturiens Anna F......., temperamenti sanguinei et constitutionis robustae. Novem menses gravida atque primipara esse dicit. Jam a tempore matutino adfuerant dolores, ut ipsos describit, veri, ipsamque coegerant, in Nosocomio nostro quaerere auxilium. Narrabat ceterum parturiens, se per menses ultimos saepius percepisse horripilationes, atque sensum in abdomine ponderis, sese in motu corporis, nunc in hoc nunc in illud volventis latus; neque per stethoscopium sonum cordis infantis illum dicrotum audire licuit. Mammae, quamvis evolutae, flaccidae erant, nullumque fere secernebant lac. Erat apertum jam ad quartam floreni partem uteri ostium, verique sese ad partum evolvebant labores; erantque hi regulares satisque fortes, ita ut post tres horas fuerit natus infans mortuus, non prorsus evolutus, septem verisimiliter mensium; erat epidermide fere omni orbatus et affectus putredine foetus masculus; post horae quadrantem sequebantur secundinae, flaccidae, aeque ac foetus, putrescentes. Liquoris Amnii copia exigua.

Jam in ostii uterini exploratione nobis constitit adesse blennorrhoeam, et corpora quaedam dura, in genitalium labiis externis vaginaque suam habentia sedem. Postquam igitur fuerat peractus partus, genitalia inquisivimus externa, multaque in labiis et ad anum adesse condylomata lata nobis

apparuit; erat puerperii cursus regularis; nulla febris lactea, exigua lactis secretio; lochia satis copiosa, foetida. (Lotiones cum Aqua Chlorata). Puerperio peracto post 14 fere dies, curam incepimus specificam, atque accuratius speculi ope investigavimus partes affectas; erant labia externa parvis obtecta condylomatibus, inaequalia, crinibus orbata; in vagina per speculum nulla cernebantur ulcera aut condylomata, sed mucus aderat magna copia crassus, viridescens, ingratum spargens odorem; multa eaque latiora inveniebantur circa anum condylomata, non multum supra cutim eminentia, sed cum basi larga fundo adhaerentia. Nulla in aliis corporis partibus hujus affectionis aderant vestigia, se nunquam antea fuisse affectam testatur aegra, sibique ante annum fere post coitum haecce contraxisse mala. Nunc majori, nunc iterum minori adfuerant copia, aucta praesertin per ultimum mensem.

Datur Protoiödur. Hydr. et pro lotione Aq. Vegeto-miner. Goulardi.

Postquam 14 dies hacce usa erat medicina, ipsius revera erat emendata conditio; jam minora condylomata alia, disparuerunt alia; erat et imminuta blennorrhoea, odorque materiae excretae non tam ingratus.

Pergatur igitur in eadem medicina, sed pilulis utatur de die quatuor. Nulla salivationis aut stomachi male affecti signa.

Post talem medicinam, mense peracto, sanata Nosocomium reliquit.

Observatio VI.

ULCERA SYPHILITICA PRIMARIA AD PENEM.

Die 29 Januarii in Clinicum chirurgicum recipitur Jacob Arreb...., annum aetatis agens 35, temperamentum referens lymphaticum et constitutionem nervosam. Jam antecedenti anno idem vir degerat in clinico cl. Pruis v. d. Hoeven, propter anginam. Quae, quamvis rebellis, post usum demulcentium, atque vesicantis in tracheae regione applicationem, secessit. Sanatus igitur nos reliquit, rediit vero laborans ulceribus syphiliticis primariis ad penem. Bis sibi ex coitu contraxerat blennorrhoeam, quae bene vero sanatae, nullum reliquerant vestigium. Ante duodecim vero dies iterum cum meretrice habuit rem, tuncque, quae nunc conspiciuntur, retinuit ulcera; adsunt duo ad glandem penis in fossa naviculari, fundo praedita lardaceo, non valde profunda, sed marginibus circumdata rubris durisque: alterum conspicitur superficiale in parte praeputii exteriori, circulo profunde-rubro circumscriptum. Rubet omnis glans, dum orificii urethrae labia a se invicem hiant irritata. Nulla vero in urina excernenda molestia aut dolor ab aegro percipitur.

Erethico horum ulcerum statu fugato, facta est ulcerum adustio per Nitr. Argenti; praescriptae sunt pilulae cum Protojod. Hydrargyri et Decoct. Lignorum. (Rc. Protoj. Hydr. gr. ij, Succ. Liquir. q. s. ut fiant Pill. No. xxiv. Ds. 3 de die 2).

Die 3[io] Febr. Querebatur dolorem in faucibus sub deglu-

titionis opere; conspiciebantur arcus palatini et uvula irritata, non vero ulceribus obsessa; quae in pene sunt ulcera, crustis ex caustici effectu obtecta, nullam adhuc admittunt dijudicationem. Pergatur in eadem medicina. Lectulum non relinquat aeger.

Die 4 Febr. deciderat crusta ulceris, quod est in praeputii parte exteriori, ipsiusque superficies, adspectum syphiliticum quodammodo amiserat: fundus non lardaceus, margines plani, non proprio praediti colore luetico. Dolor in faucibus auctus. Sumat quater de die Pilulas duas. Iter. Dec. Lignor. Lotio ex Aqua phagadaenica.

Die 10 Febr. Locus desquamatus observatur post arcum palatinum lateris dextri, superficialis vero, non lardaceus, sed valde irritatus. Melior ulcerum ad penis habitus. Jisdem utatur medicaminibus.

Die 18 Febr. Penis ulcerum jam incepit cicatrisatio, eorumque omnis disparuit indoles syphilitica; melior faucium conditio; imminuta rubedo, dolor sub deglutitione, et loci desquamati irritatio.

In melius tendebat ab illo inde tempore hujus aegrotantis conditio. Ultimis diebus sexties de die duas sumebat pilulas, semperque Dec. utebatur Lignorum.

Die 26 Martii sanatus reliquit Nosocomium.

Observatio VII.

EXANTHEMA SYPHILITICUM.

Theresia Maria van M......, annum aetatis agens 36, temperamenti cholerici et constitutionis nervosae, die 2 Maji in Nosocomium est recepta, propter morbum quendam cutaneum, quo jam per tres hebdomades fuerat affecta; conspiciebatur praesertim exanthema maculosum in brachiis, pectore et cruribus inferioribus, colore praeditum cupreo, in aliis vero locis, rubro aut flavescenti; erant maculae a se invicem distinctae, non confluentes; pruritum non movebant, nisi quod calori exponeretur corpus; non disparebant sub digiti pressione, neque ullum exinde provocabant dolorem. Isthmi faucium conspiciebatur irritatio, non vero ulceratio, levisque modo sub deglutitione aderat molestia. Confessa est aegra, se ante annum fere laborasse blennorrhoea, quae absque medicaminum siluit auxilio; neque genitalium externorum, exploratio neque internorum ope speculi facta, aliquid adhuc ostendebat mali venerei. Diagnosis: Syphilides. Genus Syphilokelis; Species syphilokelis perstans.

Praescribuntur pilulae cum Protoj. Hydrargyri et Decocta Lignorum, sub quorum medicaminum usu, post mensem a malo prorsus erat libera Syphilitico.

Nosocomium reliquit die 15 mensis Junii.

VI.

MORBI OCULORUM.

Observatio I.

LEUCOMA UTRIUSQUE OCULI, BLENNORRHOEA OCULI DEXTRI, IPSIUSQUE CORNEAE EMOLLITIO.

Mienekes M...., annum aetatis agens 19, temperamento praeditus sanguineo-lymphatico, et constitutione scrofulosa, die 1. Mensis Sept. in Nosocomium suscipitur. Laboraverat aeger variolis confluentibus, post quas fugatas sibi contraxerat ophthalmiam, quae per tres nunc jam aderat hebdomades, nulla cura adhibita. Dolor praesertim oculi dextri, photophobia notabilis; si lucis stimulus admovetur, statim aeger sternutamento afficitur; oedema palpebrarum utriusque

oculi; conjunctiva multis scatet vasculis. Conspicitur porro in utroque oculo materies alba floccosa, inferius corneae occupans segmentum, eundemque semper tenens locum; est praeterea in oculo sinistro fovea ad marginem corneae superiorem; in oculo dextro ophthalmo-blennorrhoea et corneae emollitio.

Applicantur hirudines VI ad processum mastoideum dextrum, frictiones instituuntur circa utrumque marginem orbitalem cum Unguento ex Ungtis Belladonnae et Mercuriali āā p. a. Ad. chemosin tollendam tentatur instillatio Nitratis Argenti gr. 1 in unc β. aq. dep.): a quo autem consilio, propter nimiam irritationem, desistere coacti sumus. Pro usu interno praescribuntur pulveres ex Mercurio dulci (gr. vi c. sacch. alb. dr. ij. ad p. xij.). Quum autem ex horum pulverum usu gingivae dolere inceperunt, Mercurialia omisimus, atque curam iterum suscepimus localem; plumeolae ope semel de die Laud. Liq. Sydenh. ad oculi dextri corneam admovetur, cujus ceterum status nullam ostendit emendationem; quae autem oculi sinistri corneae segmentum occupaverat inferius, materies alba, floccosa, fere disparuit; quibus porro corrigeretur fovea marginem corneae occupans superiorem, praescribuntur guttulae ex grano i Nitr. Argenti s. in unc i Aq. Rosarum.

Sub tali medicina oculus dexter non emendabatur, ita ut, revellendi causa, vesicans magnitudinis trium florenorum in nucha poneretur, qua eo loco oriretur suppuratio: oculi autem sinistri conditio multo erat facta melior, quin sanus dici potuisset oculus, nisi ista, quam memoravimus, in cornea adhuc superfuisset fovea.

Postquam per octo dies adfuerat fonticulus in nucha, oculi dextri destitit quoque blennorrhoea, quare fonticuli permisi-

mus conglutinationem; per Laudani Liquidi tactum oculi dextri corneae imminuta erat emollitio; metus autem oritur, ne remaneat synechia anterior.

Sic postquam ad 20 Novembris diem in Nosocomio degerat vir, nos reliquit a gravi oculorum morbo sanatus, neque aliam retinuit molestiam, nisi synechiam anteriorem, quae in oculo conspiciebatur dextro.

Observatio II.

OPHTHALMIA MILITARIS.

Propter oculorum morbum die Febr. 26 in Nosoc. Acad. recipitur Joannes Verg.... Vir ille anno aetatis gaudens 28, temperamenti est lymphatici et constitutionis scrofulosae.

Valetudo semper ipsi fuerat prospera, et puerili modo aetate, tinea capitis fuerat obnoxius. Quum vero postea artem excercebat militarem, duobus abhinc annis oculi sinistri affectus est blennorrhoea. Narrat se in eodem cubiculo dormivisse cum alio milite ophthalmo-blennorrhoea affecto, eademque qua hicce fuisse usum ad lotionem aqua. Brevi tunc post in oculo sinistro oriebatur blennorrhoea, conjuncta cum videndi impedita facultate, quapropter in Nosoc. militare, quod Harderovici est, fuit receptus: Semel ibi Lapidis infernalis ope, palpebrae superioris tetegerunt conjunctivam, dum postea semper fuit adhibitum Ungtum quoddam oph-

thalmicum. Post quatuor mensium curam domum rediit aeger; erat multum emendata oculi conditio, non vero prorsus sublata affectio et deleta. In ejusmodi rerum statu, ante 8 hebdomades dolor et rubor orti sunt in oculo dextro, cum dolore in regione supraorbitali, quibus accessit dein muci secretio et sublata fere videndi facultas. Aeger tum usus est collyrio quodam et emplastro vesicante in regione supraorbitali applicato; quae vero non magnum attulerunt morbi levamen: post fonticulos autem in utroque brachio factos, substitit blennorrhoea, non restituta visus integritate.

Oculorum instituto examine, sequentia notantur:

Photophobia non magna, palpebrae praesertim superiores tument, tactu sensilitas augetur et lacrymae uberius excernuntur; conjunctiva palpebrarum utriusque oculi rubedinem offert aequabilem, rosaceam cum glabritie; muci secretio vix notabilis; in palpebra superiori oculi dextri corpus papillare manifeste evolutum, ita ut tumorem offerat notabilem ad canthum oculi externum, minorem ad internum. Minor notatur corporis papillaris evolutio in oculo sinistro; utriusque palpebrae inferioris conjunctiva tumet rubetque; in sclerotica utriusque bulbi vasa satis copiosa, ad marginem corneae plerumque decurrentia; oculi dextri cornea obfuscationem refert griseam cum ulcusculo ad marginem internum; adest staphyloma partiale, cornea tumorem notabilem non ostendente, videndi vero facultate admodum impedita. In oculo sinistro cornea colorem refert griseum, vasculis parcissimis praeditum: pannus adesse videtur membranaceus; iris adhuc distinguenda; videndi facultas multo melior, quam in oculo dextro. Tempore matutino conglutinatae cernuntur utriusque oculi palpebrae.

In oculo igitur sinistro blennorrhoea prius adfuisse videtur

scrofulosa, e contagio forsan orta, quae pannum reliquit membranaceum et conjunctivitidem totius oculi chronicam, cum hypertrophia corporis papillaris. Vehementior erat affectio oculi dextri, ubi blennorrhoea forsan nata est secundaria, quaemadmodum in hisce affectionibus frequenter obtinet. Simul locum habuisse videtur puris secretio intra corneae lamellas, quae hujus membranae produxit ulcerationem, iritidem, atque staphylomati partiali praebuit ansam.

Indicatio: conjunctivae deleatur hypertrophia, vasorum restituatur tonus; fiat revulsio ad alias partes.

Rc. Nitratis Argenti gr. β. Aq. depurat. unc. i. 3 de die instilletur. Vespere sumat pedum balnea calida. Promoveatur alvus per Electuarium e pulpis.

Jam, ubi per hebdomadem sub tali degerat cura aegrotans, oculi sinistri erat quodammodo emendata conditio: minor conjunctivae vasorum injectio, decrevit quodammodo palpebrarum intumescentia; nulla vero oculi dextri observanda mutatio.

Cum eadem igitur medicina pergere decrevimus, sed solutioni gr. β. addidimus Nitratis Argenti; et revera bonos exinde capere fructus nobis licuit; in dies emendabatur oculorum status; photophobia atque sensilitas ad tactum imminuta, videndi facultas aucta. Praeter palpebrarum oculi dextri detumescentiam, corporis papillaris evolutio restricta; corporis staphyloma constituentis partiale magnitudo non aucta, quin ad minoris reductum esse videbatur ipsius volumen.

Sic idem sequentes medendi propositum, post menses duos de felici curae eventu futuro magis redditi sumus certiores; obstabant vero oculi dextri corneae staphyloma partiale, atque corporis papillaris in utroque oculo notabilis sane

evolutio. Lapidem igitur tunc divinum adhibuimus, quo ternis diebus tangebantur partes illae luxuriantes: bono revera successu.

Interdum per Nitratis Agenti instillationes (gr. ij in unc i aq. dest). multum profecimus, praesertim, quod ad staphylomatis pertinebat imminutionem; sensim enim ad minus reducebatur volumen, per corneae ulcusculum regrediebatur, nihilque ne exiguam quidem synechiam anteriorem reliquit.

Observatio III.

CATARACTA UTRIUSQUE OCULI. OPERATIO.

Jacobus Gr.......... sutor, vir temperamenti lymphatici et constitutionis tenerae, annum aetatis agens 56, initio mensis Maji recipitur in Nosocomium Academicum. Utriusque oculi queritur coecitatem, qua duobus abhinc annis laborare coepit, cujusque progressus sensim id effecerunt, ut nunc ab omni fuerit privatus videndi facultate. Oculorum exploratio de cataracta lenticulari utriusque oculi nos reddebat certiores. Quum vehementer operationem cupiebat vir, neque complicatio quaedam cum Amaurosi e. g. adesse videbatur, qua operationis fieret frustraneum negotium, die Junii 8, tempore matutino, a Cl. Praeceptore cataractae operatio per extrac-

tionem est instituta. Optime profecto opus successit, statimque luminis radios percipere profitetur homo. Ut vero a Cl. Broers fieri solet, statim claudere palpebras virum jubetur, tuncque in cubiculo obscuro retinetur, fuitque vetitum quaevis instituere experimenta, per quae de visu restituto constaret. Erat per reliquum diem, omnino bona hujus viri conditio; nullos oculorum accusabat dolores aut cephalalgiam, alvumque semel deponebat compactam.

Nox sequens non fuerat quieta; a somno sese fuisse destitutum dicit vir, neque a capitis fuisse liberum dolore; nil vero de oculorum queritur affectione, neque aliquid mali in ipsis conspicitur; lingua mucosa, alvum non deposuit. Praescribitur Elect. Lenitiv.

Die sequenti narrat aeger se pruritum atque punctionis sensum, praesertim in oculo sinistro percepisse, neque repulsam esse cephalaeam frontalem; pulsus febrilis. Oculi sinistri conjunctivae vasa quodammodo injecta conspiciuntur, atque lymphae, ut videtur, plasticae, in parte iridis superiori oculi sinistri depositum. Admoventur hirudines pone aures; Iter. Elect.; exinde alvum quotidie deponit naturalem. Quamvis nox sequens gratum attulit somnum, atque cephalaea erat imminuta, punctionis in oculo sinistro sensus nondum disparuit. (Vesicatorium in nucha, inunctiones cum ungto Neapolitano ad margines supraorbitales).

Sic per aliquot dies servato fonticulo frictionibusque supra orbitas institutis, oculorum punctionis sensus est repulsus, neque quae aderat, lymphae in iride parva copia, adaucta cernebatur. Cephalalgiam vero semper querebatur frontalem somnumque interruptum. Pulsus vero per ultimos dies apyretus, appetitus laudabilis; alvus regularis (pergitur cum frictionibus in regione supraorbitali). Sensim

tunc vasorum conjunctivae disparuit injectio, dum et lymphae fuerat facta resorptio in sinistro oculo secretae.

Postquam igitur per sex hebdomades sub nostra degerat cura, visus perfecte erat restitutus, atque ab omnibus liber symptomatibus molestis homo antea infelix.

Memorandum, hujus viri fratrem seniorem, eodem fuisse adfectum oculorum morbo, a quo per operationem quoque fuerat liberatus.

Per eandem operationem duae praeterea feminae, altera 70, altera 64 annos nata, a Cl. Praeceptore Broers, institutam, fuerunt liberatae a cataracta lenticulari utriusque oculi.

Multos ceterum oculorum morbos curavimus in Nosoc. Academico, ne dicam, innumeros fere, quibus laborabant ii homines, qui propter res familiares aut aliam causam impediti, quominus in Nosocomio degere possent, cujusvis hebdomadis die Lunae et Jovis, Praeceptorem nostrum Clarissimum adire solebant: quo tempore Nitratis Argenti usum saepe profecto, in opthalmiis praesertim chronicis, aut recidivis aut scrofulosis, optimo cum successu vidi adhibitum.

Tres porro, per hujus anni curriculum, institutae sunt extremorum amputationes; prior juvenis 17 annos nati, propter laesionem notabilem brachii dextri per machinam illatam, unde fuerunt dilaceratae omnes partes durae atque molles articulum constituentes cubiti, caeque, quae supra eum jacent, ad insertionem fere ms deltoidis; altera viri sexagenarii, debilis, propter fracturam cruris dextri, atque gangraenam insequentem; tertia denique viri 24 annorum nati scrofulosi, propter podarthrocacen, ita vehementem, ut corporis delerentur exinde vires, febrisque jam fuerit orta hecticae naturae; quorum omnium perfecta obtinuit sanatio. Hae amputationes institutae sunt a v. v. Doct. Halbertsma, Hanegraaf et

expertissimo van Iperen; a quo praeterea Chirurgo instituta est apud nos, in viro 27 annos nato, sanguineo, constitutionis robustae, Art. poplitaeae aneurysmatis operatio, secundum methodum Hunterianam.

Fuerunt praeterea per operationem sanata labia leporina varia, tum quoque instituta tenotomia tendinis Achillis in infante unius anni, cujus pes dexter erat varus.

Morbis quoque operam dedimus cutaneis, multosque eorum curavimus e Cl. Dermapostases et Fam. Scrofuloses, tum etiam ex Cl. Dermatonoses et Fam. Eczematoses; inter quos vero inprimis memoranda Ichthyosis simplex vulgaris, ex Cl. Dermapostases et Fam. Leproses; cujus aegrotantis jam antea in nostro curati Nosocomio, crus depictum invenitur in tabularum Fuchsii XVI. fig. I. in op. laud.

Continent haec brevem conspectum nonnullorum morborum, quos, præ aliis, per unius anni Academici curriculum, in clinico Chirurgico Cl. Broers observare mihi licuit.

F I N I S.

THESES.

I.

Aër cibi et potus varii, lithiasi praecipue praebent ansam.

II.

Uberrimus exanthematum fons, est consensus cutis cum aliis corporis partibus.

III.

Non facio cum iis, qui in ophthalmia blennorrhagica hirudines aut venaesectionem suadent.

IV.

Hydroceles operationem per incisionem, aliis praepono methodis, quae sanationem dicuntur inducere radicalem.

V.

Stethoscopii in praxi obstetricia usus utilissimus.

VI.

Cordis hypertrophiae causa princeps in systemate quaerenda nervoso.

VII.

A chaque âge de la vie, l'homme a un organe qui est, pour ainsi dire, le centre de fluxion.

Cazeaux.

VIII.

Perperam Rieger in Aph. Hippocr. 58. Sect VII. »ἀφώνους γενέσθαι παραχρημα" vertit: »*voce privari* necesse est."

IX.

Non ubique valet Canstattii verbum: nicht die Ausleerung, sondern die Regeneration selbst ist die Krisis.

X.

In gravidarum haemorrhoidibus hirudinum applicatio rejicienda.

XI.

Frequens affectio testis in angina parotidea, non ex consensus lege explicanda, sed symptoma morbo proprium est habendum.

XII.

Nicht der Mangel an Lebenszugang, sondern der an Lebensreceptivität ist, was den Menschen am Ende untüchtig macht länger zu leben.

Hufeland.

AAN

MIJNEN VRIEND

J. A. Ort,

BIJ ZIJNE BEVORDERING

TOT

Doctor in de Geneeskunde.

Riep Vriendschap me immer op tot zingen,
Dan roept zij me op Uw feestgetij';
Of zou 'k thans mijn gevoel bedwingen?
Dit wacht Gij zeker niet van mij:
Voorheen, zoo vaak U eer mogt kroonen,
Ontrolden reine vreugdetoonen
Mijn hart, aan 't Uwe op 't sterkst gehecht;
En thans zou niet mijn boezem gloren,
Nu schooner krans, dan ooit te voren,
Zich sierlijk om Uw' slapen vlecht?

Neen, Vriend! nu op een dag, als dezen,
Uw' borst door 't eêlst genieten gloeit,
Uw blik voldoening ons doet lezen,
Uw mond van dankstof overvloeit;
Nu 't heil, op heden U ontsloten,
Verdubbeld door U wordt genoten
Met 't teêr U minnend Oudrenpaar,
Wier hart, van blijdschap opgetogen,
Om 't Pand, waarop Zij roemen mogen,
Zich opheft tot d' Alzegenaar;

—

Nu Broederwensch en Zusterbede
Zich zegenend op U nederstort;
Nu voor U 's Hemels gunst en vrede
Door Maag en Vriend ontboezemd wordt; —
Nu zou 'k mijn' juichtoon binnenhou'en,
Ik mijn gevoel U niet ontvouwen,
Waar elk verheugd Uw' hand omvat? —
ô Vriend! dan was de band ontluisterd,
Die jaren reeds ons houdt gekluisterd;
Dan had 'k nooit regt U liefgehad! —

Maar deel ik innig in den zegen
Van deez' gewenschten vreugdedag,
Is 't me, of ik 't heil, door U verkregen,
Op heden zelf genieten mag;
Toch voel 'k mij ook door weemoed prangen,
Toch rolt een' traan mij langs de wangen:
En Gij verschoont die droefenis;
Want 't is deez' blijdste stond Uws levens,
Die voor het vriendenharte tevens
Het aaklig uur van scheiden is.

—

Dat denkbeeld, zou 't geen' smart mij baren;
Wanneer 'k mijne aandacht zie geboeid
Door 't reinst genot, een reeks van jaren
Mij uit Uw bijzijn toegevloeid?
Wanneer verrukt mijne oogen turen
Op al die onvergeetlijke uren
Van d' ons ontvloden lentetijd,
Dien tijd, door hooger zorg beveiligd,
Door zucht naar 't heerlijkst doel geheiligd
Aan warme vriendschap toegewijd? —

Doch neen, geen' sombren toon gemengeld
In 't U bezingend vreugdelied!
Want ô de snoer, die ons omstrengelt,
Deelt immers 't lot van 't scheiden niet?
Neen, Vriend! die band blijft ons omgeven,
Waar ook onze adem moge zweven
Op 's levens verdre kronkelpaân;
En naadren ons de jongste smarten,
Dan zullen onze vriendenharten
Nog stervend voor elkander slaan!

—

De band toch, die ons houdt verbonden,
Is niet sints gistren vastgesnoerd:
Door hem zien we in de zaalge stonden
Der jeugd ons reeds terug gevoerd;
Reeds *Grave* hield in 's levens morgen
In ons de liefdesprank verborgen,
Die ras in lichter vlam ontglom,
Een' vlam, aan 't Ouderhart ontstoken,
En helderder steeds doorgebroken,
Naarmate ons tal van jaren klom.

ô, Waar ik me in dat zoet voorleden
Denkbeeldig zie terug gewenkt,
Daar smaakt mijn' ziel weêr zaligheden,
Die slechts de teedre jonkheid schenkt;
Daar voel 'k door stille huistooneelen
Me in d' ochtend onzer vriendschap streelen:
Ja, wen 'k dat alles gadesla,
Dan waan 'k me op nieuw in *Grave's* muren,
Of 'k slijt met U genotvolle uren
In 't vriendlijk Land van Altena.

—

Doch, waar me ook in die heuglijke oorden
Uw' vriendschap lieflijk tegenstraalt;
Dit *Leyden* heeft die zachte koorden
Toch altijd 't krachtigst toegehaald:
Hier hebt Gij mij een vijftal jaren
In vollen nadruk doen ervaren,
Wat mij geen Broeder kon vergoên;
Hier vond 'k door U mijn vreugd verhoogen,
Door U mijn' droeve tranen droogen: —
Dezelfde in voor- en tegenspoên.

Maar hier ook deelden wij den zegen
Der schatten uit MINERVA's schoot;
Hier blonk ons 't licht der kennis tegen,
Als zij haar' Templen ons ontsloot.
Het pad, bewandeld door ons beiden,
Mogt al langs andre streken leiden,
Naar andre grenzen zijn gerigt;
Één bleef de bron toch van ons streven,
Één doel ons toch voor de aandacht zweven,
Één wensch, één eindpaal in 't gezigt. —

—

Dien eindpaal zijt Gij thans genaderd;
Uw heerlijk werk is hier voltooid:
Welaan! de vrucht nu ingegaderd
Van 't zaad, zoo ruimschoots uitgestrooid!
De laauwren, die Uw' schedel drukken,
Verzeeglen U het welgelukken
Der taak, die reeds U tegenlacht:
Die taak blijmoedig nu begonnen,
Ook daar een' oogst van heil gewonnen,
En hooger zegen ingewacht! —

Zoo ga dan, Vriend! waar 't schoon voorleden
Zich vrolijk aan Uw' toekomst hecht,
Waar U door veler wensch en beden
Reeds 't blijdst verschiet is toegezegd:
Uw beeld blijft voor den geest mij zweven,
Uw naam mij in het hart geschreven,
Uw lot aan 't mijne vastgesnoerd;
Ja, scheide ons plaatslijke afstand veilig!
De vriendschapstrouw, ons immer heilig,
Houdt onze ziel tot een gevoerd. —

Leyden, J. H. E. van der Zandt.
12 Oct. 1846. *Theol. Cand.*

